PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXIII / FASC. III-IV
15 Decembris / 1944

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1944

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

De receptione s. eucharistiae per fistulam gastricam, F. La Cava . . . . . pag. 161
S. R. Rotae sententiae recentiores speciali attentione dignae 170
I. Decisio d. 22 ian. 1944 170
II. Decisio d. 25 apr. 1941 201
III. Elenchus aliarum Decisionum similium . . 217

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

13 - Epistula ad Facultatem hist. eccl. in Pont. Univ. Gregoriana. *Annotationes*, P. Leturia, S. I. 228
14 - Chirographus, De Regimine instituti caritatis religionisque operibus tutandis, in Citate Vaticana conditi 242
22 - Acta summatim relata 294

Suprema S. Congregatio S. Officii

12 - Decretum de finibus matrimonii. *Annotationes* 219
15 - Decr. d. 17 iunii 1944. Damnantur op. et scripta (E. Buonaiuti) 243
16 - Decr. d. 21 iulii 1944. De systemate Millenarismi mitigati 245

S. Congregatio de Religiosis

17 - Decr. d. 24 ianuarii 1944. Nova Commissio instituitur. *Annotatio*, J. C., S. I. . . . 245

S. Congregatio de P. Fide. 24 - Acta summatim relata . 296

S. Congregatio Rituum

18 - I. Decr. de usu salivae in administ. baptismi. *Annotationes*, I. M. Hanssens, S. I. 251
18 - II. Decr. de sacris oleis a. 1943 confectis. 265
18 - III. Decr. de usu solius aquae in ablutionibus 266
18 - IV. Decl. de Benedict. ap. 266
25 - Acta summatim relata 296

S. Congregatio de Seminariis et Stud. Univ.

19 - Pontif. Opus vocat. sacerd. Statuta . . 267

S. Congregatio pro Ecclesia Orientali

23 - Acta summatim relata 236

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE RECEPTIONE S. EUCHARISTIAE PER FISTULAM GASTRICAM *

Cum vergente iam saeculo proxime elapso operatio chirurgica sic dicta gastrostomiae feliciter peragi coepta est, examinata fuit etiam a studiosis theologiae moralis possibilitas introducendi directe hostiam consecratam in stomachum personae infirmae. Illa operatio, proposita iam anno 1837 a chirurgis EGEBERG et WATSON, fuit experimento subiecta in animalibus a BLONDLOT anno 1840 et tentata etiam a SEDILLOT anno 1849 in homine cancere oesophagi laborante. Sed solum a. 1878 obtinuit VERNEUIL ope methodi LISTER primum hac in re felicem exitum. Deinceps perfectiores in dies methodos excogitarunt plures e diversis gentibus chirurgi, inter quos mentione digni sunt GRITTI et CECCHERELLI in Italia, POIRIER et FORGUE in Gallia, HARTMANN et WITZEL in Germania et SABANEJEF in Russia; in America processus chirurgicus, a KADER-SENN nominatus, est praecipuus.

Quoad eucharistiam administrandam per fistulam artificiosam non una fuit theologorum sententia, cum alii id licere assererent, eo quod directa immissio hostiae consecratae in stomachum aegroti sufficere videretur ad gratiam sacramentalem obtinendam, alii vero requirentes ad hoc veram manducationem, i. e. sumptionem praecise per os

* Damus versionem latinam; manuscriptum confectum est lingua italica. (N. R.).

factam, propositam methodum improbarent. LEHMKUHL non abnuit licere administrari hoc modo eucharistiam cum de Viatico agitur, quamdiu lex ecclesiastica id non prohibet (*Theol. Mor.*, 12. edit. II, n. 193). AERTNYS-DAMEN admittit quidem posse administrari communionem semper ac oris pars interior maneat integra et solus oesophagus sit artificiosus « quia eo in casu tota actio manducandi salvatur, nec ulla habetur irreverentia »; sed quoad administrationem per fistulam oesophago, stomacho vel ventri applicatam adhaeret sententiae negativae eorum qui talem modum reiciunt, « tum quia non certo haberetur manducatio, tum quia reverentiae sacramento debitae obesset ». Exponit tamen rationes adductas ab assertoribus sententiae affirmativae, nempe « quia ex una parte probabiliter est tamen susceptio sacramentalis, ex altera vero parte non videtur esse maior irreverentia quam habetur dum medio cochlearis praebeatur infirmo sacra communio », ac concludit monens ut hic modus administrandi non adhibeatur nisi consulto prius saltem Ordinario (*Theol. Mor.* 13. edit., II, n. 137bis). PRÜMMER vero quaerens « num eucharistia effectus suos producat, si hostia modo artificioso in stomachum transfertur, casu quo homo non potest modo naturali illam sumere », respondet explicite sequenti modo: « Affirmativa sententia videtur probabilis, quia etiam tunc eucharistia sumitur per modum cibi, licet non per modum manducationis » (*Theol. Mor.* 9. edit. III, n. 185). Secundum MERKELBACH autem « qui modo artificioso per fistulam, stomacho vel ventri appositam, sacramentum transfunderet, quod modo naturali non potest sumere, *non videtur communicare*, quia licet sacramentum nutrire posset, non tamen per modum manducationis sumeretur, saltem secundum aestimationem hominum... Econtra qui modo naturali illud sumeret in ore, sed per oesophagum artificialem in stomachum traiceret » (*Theol. Mor.* 2. edit. III, n. 268). Ut hic casus oesophagi artificiosi, de quo etiam AERTNYS-DAMEN, de facto detur, opus esset ut infirmus la-

borans v. g. stenosi invincibili in parte inferiore oesophagi subiret primum gastrostomiae operationem, fistulae inserendae gratia necessariae ad introducenda alimenta, et dein novam operationem, sc. oesophagostomiae, in loco ubi adest impedimentum, ad apponendum tubulum qui unice sacris speciebus ex ore in stomachum traiciendis inserviret. Salvaretur utique hac ratione quaedam veluti species manducationis et fieret satis « aestimationi hominum » prout vult MERKELBACH, sed pari tempore influeretur notabiliter in graviorem statum infirmi, qui praeterea deberet superare pericula provenientia ex hac altera operatione, haud necessaria corpori nutriendo. Demum S. Officium in duobus casibus, qui ad hanc materiam referuntur, dedit responsum negativum, quod tamen secundum LEHMKUHL non reddit certam illiceitatem actionis, « tum quia propositae causae non sunt plane eaedem, tum quia responsum particulare non facit generalem legem ».

In pertractanda vero hac quaestione eminet prae ceteris tum profunditate tum sapientia Cardinalis de Lugo, qui floruit versus medium saec. XVII. Etsi ne suspicionem quidem haberet de fistula gastrica, inter chirurgos suae aetatis haud nota, disserit tamen de possibilitate introducendi miraculose in stomachum infirmi hostiam sanctam, prout iam contigerat comiti Gallo et Sanctae Julianae Falconieri, cui, canit Ecclesia, « non usitato modo solatur et nutrit Deus, dapem supernam porrigens ». De LUGO postquam ostenderit usum eucharistiae non pertinere intrinsece ad hoc sacramentum, ita ut « si eucharistia poneretur in stomacho hominis miraculose, et sine eo quod intraret per oris manducationem, adhuc causaret gratiam », tenet « manducationem esse meram condicionem requisitam ut cibus alioquin potens applicetur ». Hinc sequitur, secundum eum, quod « si cibus iste alio modo applicetur, eodem modo poterit gratiam operari: sicut si cibus naturalis poneretur miraculose intra stomachum, eodem modo nutriret hominem ac si manducaretur ». Exponit dein sententiam contrariam

aliorum qui innituntur ad hoc nonnullis sacris textibus, ut « qui manducat hunc panem vivet... » et « nisi manducaveritis carnem filii hominis non habebitis vitam... » ubi videtur negari effectus sacramentalis, nisi praecedat manducatio. Refellit hanc opinionem ex proportione cibi naturalis ex eo quod « manducatio sit mera condicio applicationis: quare si causa alio modo applicetur, non est cur non possit operari ». Si res consideretur sub ratione cibi et potus (« caro mea vere est cibus, sanguis meus vere est potus ») solutio quaestionis est plana, et recte concludit De Lugo ita « ...sicut in cibo virtus causandi non est in usu vel in contactu, sed solum in cibo; sic etiam in hoc sacramento virtus causandi solum debuit constitui in ipso cibo; usus vero seu contactus solum designari ut condicio et applicatio cibi (De Sacramento Eucharistiae, disp. 1, sectio VII, n. 114 sqq.).

Eadem conclusio potest etiam deduci ex doctrina Concilii Florentini in Decreto pro Armenis: « Huius sacramenti effectus est adunatio hominis ad Christum... omnemque effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem ». Iam vero in cibo corporali directa eiusdem introductio in stomachum excludit solummodo actionem fermenti ptyalini, quae in ore peragitur admixtione salivae praesertim secretae e glandula parotide.

Suppletur tamen hic defectus secretione gastro-intestina et praesertim succo pancreatico, in quo amylopsinum habet eamdem virtutem convertendi amylum in maltum (italice maltosio); et sic nihil deest ad transformanda physiologice alimenta in chymum et chylum. Ex quo patet per introductionem directam parvi fragmenti hostiae consecratae in stomachum hominis nullum excludi elementum substantiale « manducationis » i. e. sumptionis cibi tum biologice tum physiologice consideratae.

Ratio igitur, scientia physiologica innixa, suadet, ca-

ritas vero erga aegrotos, qui, fistula gastrica instructi, desiderant refici pane angelorum, instat vehementer ut pro salute suarum animarum simus prompti ad concedendum eis hoc donum, dummodo non exsurgat aliunde gravius aliquod impedimentum.

* * *

Sed in exponendis argumentis a theologis hucusque adductis, ipso Cardinali de Lugo non excluso, - de quo ceterum facile poterit quis coniectura assequi quam ardenter suscepisset causam horum aegrotorum, si possibilitas introducendi alimenta per fistulam gastricam ipsi nota fuisset - fortasse non accurate ponderantur vel saltem non perpenduntur diligentia sufficienti ad occurrendum cuilibet difficultati sacri textus ad eucharistiam attinentes. Vulgata latina in omnibus locis qui ad eucharistiam referuntur. (cfr. Io. VI, 50, 52, 54, 55, 57, 58, 59; I Cor. XI, 24, 26, 27, 28, 29) excepta una vice in qua legitur verbum *edo*, adhibet constanter verbum *manducare*. In textu vero graeco invenimus tria verba ἐσθίω, φάγω, τρώγω quae nunc singillatim perpendere opportunum videtur.

Forcellini ad verbum *mando-is* habet: « conferendum cum graeco μάω, μάσσω, μασάομαι. proprie est cibum conficio dentibus, masticare. Cic. Dentibus in ore constructis manditur. Item comedo; mangiare ». Ad verbum *manduco* adiungit: « est mando, comedo; masticare, mangiare ». Diom. Manduco proprie est quod graeci dicunt μασάομαι; hoc est identidem mando. Ideoque Probus negat recte dici piscem vel aliud tenerum quid manduco sed potius edo, quod significat ἐσθίω. Manducatur autem quod denti reluctatur; nam cum dicam *edo* quid faciam ostendo; cum vero *manduco* non tantum quid faciam ostendo, sed et qualiter faciam. Veteres tamen et in edendi significatione manduco dixerunt. « Demum ad verbum *edo* ait ipse Forcellini: « proprie idem fere ac comedo, vescor ».

In vocabulario graeco-latino Wilke-Grimm verbum

ἐσθίω et formae derivatae a radice φαγ vertuntur per vocabula latina *edo, comedo, vescor* et adiungitur: secundum Vulgatam latinam, *manduco*. P. Zorell in suo vocabulario graeco N. T. ad idem verbum haec apponit: « Absolute: cibum capio ». Verbum τρώγω secundum Wilke-Grimm idem est ac « edulia non cocta, fructus crudos dentibus comminuo » et dicitur de animalibus irrationalibus. Homerus loquens de mulis utitur verbo τρώγω cuius sonus videtur in mentem revocare peculiarem rumorem quem haec animalia inter rodendum faenum ore producunt. At iam inde ab Herodoto τρώγω dicitur etiam de homine et quidem in eadem significatione generica quam habent vocabula edo, comedo, cibum capio. Vide etiam Rocci, Dizionario greco-italiano ad h. v. Secundum P. Zorell verbum μασάομαι significat *mandere, dentibus comminuere*. Hoc verbum, ex quo procedit *mandibula*, nomen inditum ossi cui sunt infixi tum dentes, tum etiam masseter, musculus potentissimus masticationis, bis solummodo occurrit in S. Scriptura, sc. in Job, XXX, 4 « mandebant herbas et arborum cortices » et in Apoc. XVI, 10 « commanducaverunt linguas suas prae dolore », quae actiones nequeunt sane peragi absque auxilio dentium. Magni vero refert notare Vulgatam latinam in utroque hoc loco non uti verbo « *manducare* » sed potius *mandere* et *commanducare*, ut sic pressius indicetur necessarius usus dentium.

Ex his concludi posse videtur verbum *manduco*, quod Vulgata latina adhibet in textibus eucharisticis, non aequivalere plene verbis graecis ἐσθίειν, φαγεῖν, τρώγειν quae exactius possent verti per verba *vescor, cibum capio*. Sane ambigi non potest quin Christus Dominus in instituenda eucharistia sese referret ad communem viam per quam ingeruntur alimenta; sed ex alia parte probari non potest eum intendisse excludere a pane eucharistico recipiendo fideles qui, *viam oris occlusam* habentes, possent sumere illum per directam introductionem in stomachum, ubi *unio* cum corpore Christi eiusque membris es-

set aeque perfecta et proin apta ad gratiam sacramenti communicandam.

Hanc interpretationem esse rectam patet etiam ex alio textu S. Scripturae, sc. ex Eccli. XXVI, 20, ubi legitur « Omnem escam manducabit venter » seu iuxta versionem septuagintaviralem: « πᾶν βρῶμα φάγεται κοιλία. Igitur stomachus, qui certo certius non potest *masticare* cum non habeat dentes, valet *manducare* secundum scriptorem sacrum. Consequenter hoc verbum « manducare » in Vulgata latina non significat solummodo « dentibus mandere » vel « ore sumere », sed etiam sensu minus presso *vesci*, cibum *capere;* et potest referri tum ad os tum ad stomachum; uno verbo *manducatio* potest peragi etiam in stomacho. Si vero stomachus potest manducare *a potiori* poterit etiam capere potum. Itaque nec ex verbis sacri textus, si examini philologico et etymologico subicitur, obstat quidquam quominus s. eucharistia, quae « vere est cibus et vere est potus » administrata « per modum cibi et per modum potus », per fistulam oesophago vel ventri insertam, producat gratiam sacramentalem in anima aegroti qui illam debitis dispositionibus recipiat. Ni ita esset et verbo « manduco » deberet necessario attribui primaeva significatio *cibum conficiendi dentibus, masticandi,* haberetur paradoxalis conclusio necessitatis excludendi a mensa eucharistica quoslibet dentibus privatos; quo quid absurdius?

* * *

Dissipata iam plene difficultate quae ipso textu sacro, etymologice considerato, inniti videbatur, disserendum est iam ulterius de condicionibus necessariis ut s. communio possit de facto administrari per fistulam gastricam. Requiritur in primis ut orificium fistulae sit capax ad retinendum, ita ut excludatur quodlibet periculum intempestivae reiectionis cibi introducti. Arcere huiusmodi periculum fuit semper in votis chirurgorum, qui ad aegrotos regulatim nutriendos diversas excogitarunt methodos, quas

nunc describere non esset opportunum. Potest asseri capacitatem retentionis ulteriorisque functionis stomachi generatim eo securiorem esse quo vicinior sit *cardia* locus ubi peragatur gastrostomia. Speciali mentione digna videtur, utpote nonnihil extraordinaria et securior inter omnes, methodus F. O. Witzel; inseritur scilicet orificio stomachi tubulus Nelaton, cooperiendus transverse ope duplicis plicaturae consutae inter se parietis gastrici externi (Schrägfistel).

Si iam de ipso modo administrandi s. communionem agatur, prae oculis habenda est difficultas quae hac in re provenire potest ex eo quod hostia consecrata forte adhaereat parieti tubuli gastrici ibique remaneat. Id ut vitetur, adhiberi potest globulus panis azymi, cuius diametron sit minor ac ea quam habet tubulus insertus, et sic per subsequentem infusionem liquidi, sacras species non corrumpentis, totum immittetur secure in stomachum. Medium maxime aptum esset administratio s. communionis sub specie vini, dummodo organismus aegroti ferat illud, de qua re iudicium medici exquirendum est, nec infirmus ex alia ratione recuset vinum. Sed cum in ritu latino hic modus suscipiendi ss. sacramentum sit omnino inusitatus et prohibitus, de eo adhibendo cogitari non potest nisi prius obtenta necessaria licentia a competente auctoritate ecclesiastica.

Alius modus administrandi s. communionem posset consistere in eo quod sacerdos post inclusam hostiam in quadam capsula molli, impelleret eam per fistulam gastricam usque in stomachum ope tenuis compressionis aëris; et sic in momento in quo, soluto involucro illo, sacrae species liberae remanerent, susciperetur eucharistia ab infirmo. Occurrunt autem casus, etsi omnino exceptionales, in quibus succus stomachi ob morbidam alterationem capsulas solvere non valeat. Ideo antequam hic modus administrandi s. eucharistiam adhibeatur, exquiri debet sententia medici de casu particulari; et si res dubia ma-

net, prius repetitis vicibus experimento probari debet utrum capsula digeratur necne. Non mirarer demum quod devota industria eorum qui ardenti desiderio cibi eucharistici flagrant, alia media et simpliciora et aptiora excogitaret. Cum vero agatur de modo prorsus inusitato administrandi s. eucharistiam, semper erit necessaria praevia licentia competentis auctoritatis ecclesiasticae, quae, audita quoque peritorum sententia ubi opus fuerit, providebit in singulis casibus prout opportunum videatur. Sit ultima animadversio circa decentiam servandam in hoc modo administrandi eucharistiam. Etsi verissime dicatur « omnia munda mundis », dignitas tamen s. eucharistiae summaque veneratio tanto sacramento debita, pariterque persona aegroti et honor religionis catholicae simul cum bono nomine sacerdotis administrantis hoc singulari modo s. communionem, postulant omnino ut quam diligentissime evitetur quidquid vel leviter possit offendere decentiam et modestiam religiosam. Id autem difficile non erit iis, qui sincera reverentia cooperantur huic singulari administrandi modo; omnia autem peragi debent private ac remotis inutilibus spectatoribus.

His brevibus notis, quae et medici et exegetae intersunt, finem impositurus, officii mei esse duco profiteri explicite me ad eas exarandas inductum fuisse sola caritate erga aegrotos, privationi veri panis vitae obnoxios; quae autem exposui referunt opinionem personalem, quam ut medicus catholicus subicio sincera reverentia iudicio auctoritatis ecclesiasticae, cuius est de his rebus definitive decernere.

Dott. Prof. Francesco La Cava
Docente R. Università di Roma

S. R. ROTAE SENTENTIAE RECENTIORES SPECIALI ATTENTIONE DIGNAE *

I

Romana [1]

NULLITATIS MATRIMONII ET DISPENSATIONIS SUPER RATO

In Nomine Domini

Pio Pp. XII feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno quinto, die 22 Ianuarii 1944, RR. PP. DD. Arcturus Wynen, Ponens, *Gulielmus Heard et Albertus Canestri, Auditores de turno, in causa* Romana, Nullitatis matrimonii *et* Dispensationis super rato, *inter*

---

* Cum de finibus matrimonii saepius hisce ultimis temporibus actum fuerit tum inter sacerdotes curae animarum deditos tum inter ipsos viros laicos, opportunum duximus referre una cum Decreto S. Officii die 1 aprilis 1944 hac super re dato sententiam S. R. Rotae diei 9 februarii 1944, quae fuse eandem materiam pertractat. Huic sententiae, iam publici iuris factae in Actis Apost. Sedis, adiungimus partes praecipuas sententiae Rotalis diei 25 aprilis 1941 coram Wynen, citatae etiam in priore sententia, cum in ea accurate agatur de subordinatione actus coniugalis ad finem primarium matrimonii et de elementis in copula essentialiter requisitis ad hoc ut possit dici per se apta ad prolis generationem. Venit postremo loco elenchus causarum matrimonialium apud S. R. Rotam discussarum ex capite impotentiae viri ob incapacitatem emittendi semen testiculare. Inveniuntur ibi sex causae, in quibus S. R. Rota edixit non constare de nullitate matrimonii sed SS.mo consulendum de dispensatione super matrimonio rato et non consummato. Notandum est agi de casibus in quibus locum habuerat actus coniugalis atque in copula, ceteroquin rite peracta, defuerat solummodo verum semen in testiculis elaboratum. Summus Pontifex in omnibus sex casibus benigne concessit dispensationem expetitam super matrimonio rato et non consummato.

[1] Cfr. *A. A. S.* XXXVI, 179.

dominum Titum, actorem, repraesentatum per legitimum procuratorem dñum Gulielmum Felici, advocatum, et dñam Luciam, conventam, interveniente et disceptante in causa Rev. D. Aegidio Del Corpo, Substituto Defensoris vinculi, hanc tulerunt in secunda instantia sententiam definitivam.

1. – Titus, artifex technicus apud dñum Livium medicum dentium, cum decimum septimum aetatis annum agebat cognovit Luciam, puellam 22 annorum, quae in taberna paterna erat lactaria. Mutuo amore incensi, duo iuvenes sponsalia inter se inierunt atque per annum cum dimidio honestas foverunt relationes, at deinceps Titus Luciam ad inhonesta induxit. Pluribus aliis mensibus post, Lucia passa est sanguinis vomitum atque medicum adire debuit. Qui statim declaravit statum puellae esse gravem et insanabilem. « Il professore disse che la ragazza era spacciata e a me consigliò di astenermi anche dal baciarla », deposuit Titus in iudicio. Puellae pater autem, quamvis intellexisset celebrationem matrimonii ob declaratum mortiferum morbum filiae non amplius exspectari posse, tamen Tito consilium dedit non statim abrumpere relationes (ne scl. afflictae adderetur afflictio), sed eas paulatim laxare. Titus vero, prae magno suo amore erga puellam, nullatenus destitit ab amatoriis relationibus cum Lucia, neque statim neque paulatim, potius eas continuavit sicuti antea; immo non erubuit abuti aliquoties puella aegrota.

Quodam autem die Lucia Tito aperuit se esse gravidam ex eo, atque postulavit ut brevi matrimonium contraheretur. Nolens in matrimonium ducere puellam tabidam, vir nuptias ineundas denegavit, et ut evitaret minas a puella eiusque propinquis pronuntiatas et consequentias pravi sui modi agendi, fugit Mediolanum, deinde Genuam. Verum admonitus a sua matre ut rediret et matrimonium celebraret, vir Romam reversus die 19 Septembris 1931 in ecclesia paroeciali N. N. matrimonium

reapse contraxit cum Lucia. Cohabitatio vero coniugum nunquam instituta est. Decennio post, idest die 6 Octobris 1941, vir apud Tribunal Vicariatus Urbis matrimonium suum accusavit nullitatis tum ex capite vis et metus tum ex capite simulati consensus. In fine eius libelli legitur: « Il sottoscritto, dato che egli sposò la signorina Lucia sotto il timore irritante canonicamente il matrimonio, si ritiene abile ad accusarlo benchè lo abbia contratto con l'espresso proposito di non consumarlo ». Libello acceptato et causa instructa, die 10 Decembris 1942 prodiit sententia, qua declaratum est: « Non constare de matrimonii nullitate ex capite praetensi metus, constare vero ex viri simulatione ». Appellatione ad N. S. Auditorium interposita, et consueto dubio concordato, PP. de turno, ad causam definiendam congregati, die 11 Decembris 1943 declaraverunt: « Dilata, et interea acta compleantur ».

Patres nempe opportunum censuerunt expetere a Sanctissimo facultatem cognoscendi, praeterquam de matrimonii nullitate, etiam de inconsummatione matrimonii a partibus et testibus asserta. Postquam igitur actoris patronus novum exhibuit libellum et Defensor vinculi suum votum favorabile dedit, implorata est facultas iudicandi etiam de inconsummatione matrimonii, quam facultatem Summus Pontifex die 14 Ianuarii 1944, in Audientia Decano S. Rotae concessa, largiri dignatus est. Quare primo dubio iam concordato additum est, servatis servandis, alterum dubium, itaque hodie respondendum est ad bina dubia:

I. *An constet de matrimonii nullitate, in casu; et* quatenus negative:

II. *An consilium praestandum sit Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

I — *De capite vis et metus*

2. *In iure.* — Qui metu sibi incusso ad contrahendum matrimonium adigitur, aut metum communem aut metum reverentialem patitur. Quodsi metus illatus est aut *simpliciter gravis* aut *reverentialis qualificatus* atque insuper aliis praeditus est qualitatibus in can. 1087, § 1, enumeratis, matrimonium iuxta cit. can. dirimitur ex capite vis et metus, dummodo coacte contrahens *verum* eliciat consensum matrimonialem. Sin autem metum patiens non *vere*, sed *simulate* in matrimonium contrahendum consentit, matrimonium contractum iam non est diiudicandum *ex metu,* sive is potuisset per se dirimere matrimonium, sive — et a fortiori — metus careat una vel pluribus qualitatibus a can. 1087 enumeratis; nullitas matrimonii potius derivanda est *ex simulatione* consensus, secundum can. 1086, § 2, vel etiam can. 1092, 2°. Profecto idem consensus eodem tempore nequit esse *verus* et *fictus.* Equidem metus provocare potest simulationem consensus; verum tunc metus non iam *per se stat* dirimendo matrimonium, sed est solummodo *causa simulati consensus.* Notandum tamen, principium a iurisprudentia statutum, videlicet metum esse posse aptam causam simulandi, recte intelligendum esse. Qui ob certum quendam metum sibi incussum statuit ficte contrahere, elicit eodem tempore duos actus realiter inter se distinctos, scl. voluntatis actum *externe contrahendi* et intentionem *interne simulandi.* In eiusmodi autem casu metus per se est solummodo causa *contrahendi* dum causa *simulandi* est alia, v. g. aversio adversus celebrationem cuiusvis matrimonii vel adversus certam quandam mulierem cum qua quis contrahere debet, vel omnimoda repugnantia amittendi libertatem personalem et sese ligandi per totam vitam. Quare logice loquendo metus in tali casu non est nisi causa *remota* et *indirecta*, quae simulationi consensus *ansam* praebet, atque causa *proxima* et *directa* simu-

lationis est alia; cum tamen qui consensum simulare statuit, vix unquam sibi conscius sit se duplicem voluntatis actum realiter ab invicem distinctum ponere, sed simpliciter sibi proponat consensum simulare non omnino inepte dicitur eum a metu ad simulandum adductum esse seu causam simulationis fuisse metum.

3. *In facto.* — Pacificum est Titum, actorem, ob gravem sponsae Luciae morbum qui a medico declaratus erat insanabilis, non amplius voluisse eam ducere uxorem, neque postquam puellam reddidit praegnantem, eumque ad evitandas nuptias aufugisse Mediolanum. Actor ad rem haec deposuit: « Dopo circa due anni dalla nostra conoscenza, trattenendomi un giorno con lei alla „ Casina delle Rose ", mi accorsi che ebbe uno sbocco di sangue. Fu portata dal prof. A., ed io stesso assistei alla visita. Il professore disse che la ragazza era spacciata e a me consigliò di astenermi anche dal baciarla. Dopo tale sentenza, suo padre e sua sorella mi consigliarono di non rompere subito le relazioni, ma diradarle a poco a poco. D'altra parte anch'io, sentendo di volerle bene, non ebbi il coraggio di venire a una rottura. Ella si mise in cura presso il prof. M. e migliorò moltissimo. I rapporti intimi in questo periodo avvennero tre o quattro volte. Nel 1930 ella rimase incinta e me ne diede notizia insistendo perchè io la sposassi. Io rimasi atterrito al pensiero di dover sposare una donna ammalata e di mettere al mondo figli ammalati ... Pensai perciò di eclissarmi e infatti, con qualche aiuto finanziario datomi dal signor Livio, presso cui lavoravo, me ne andai a Milano ». Cum haec a muliere conventa confirmata atque a testibus probata sint, nullum exsistit dubium de motivo, ob quod vir recusavit nuptias inire cum sua sponsa graviter aegrota.

4. — Pariter ex depositionibus partium et testium certo constat Luciam eiusque propinquos tum contra Titum praesentem tum contra absentem coram dño Livio minas mortis pronuntiavisse, atque puellae sororem etiam viri matrem, insciam tam culpae quam fugae filii, post

profectum Titi iniuriis affecisse. At minae mortis, quae praecipue a conventae sorore Aemilia iactatae sunt, non erant verae comminationes, sed potius verba in aestu irae prolata. Ut id ostendatur, sufficit audire Luciae sororem Aemiliam, quae ad rem haec retulit: « Io era la persona più energica della famiglia e tenevo molto a quella sorella più piccola tanto che le volevo bene come a una figlia ... Non nego che, nell'escandescenza, mi uscirono anche parole di minaccia e che dissi al Tito che lo avrei ammazzato se non avesse fatto il suo dovere. Naturalmente — sincere fatetur testis — lo dissi in atto di rabbia, senza quasi pensare a quel che dicevo e senza aver in animo di attuare la minaccia: ciò sarebbe stato fisicamente impossibile, perchè egli è un uomo ed è molto più grosso di me. Io non credo che egli abbia potuto aver paura di me; tanto è vero — recte concludit — che non s'indusse affatto a sposare, anzi per evitare il matrimonio se ne fuggì a Milano ».

5. — Profecto tales minae a viro vix considerabantur uti serio pronuntiatae, a quibus sibi grave malum imminere rationabiliter putabat; potius fugam capessendo vir ostendit se facile molestis instantiis puellae eiusque propinquorum subtrahere potuisse, et quo facilius periculum hypotethicum minarum in sua praesentia prolatarum effugere potuit, eo minus timere debuit minas in sua absentia prolatas, de quibus tantum per litteras dñi Livii certior factus est. Quare iam excludendum est viro *gravem metum communem* incussum fuisse, a quo ut se liberaret, vir coactus fuisset eligere matrimonium.

6. - Neque *qualificatus metus reverentialis* in casu admittendus est. Actoris mater de suo influxu, quem in filium exercuit ut eum ad contrahendum matrimonium induceret, ait haec: « Un giorno (Lucia et Aemilia sorores) mi affrontarono mentre uscivo dalla chiesa di Gesù e Maria e mi fecero una gran scenata sulla pubblica via. Io risposi loro che avevo già richiesto i documenti e che da parte mia ero pronta a fare il possibile perchè il ma-

trimonio si facesse presto. Infatti, non per le minacce ascoltate, ma per il dovere di coscienza che profondamente sentivo, non sapendo scrivere, dettai una lettera alla mia amica L. B.: in questa lettera dicevo a mio figlio che lo avrei disconosciuto se non fosse subito ritornato a fare il suo dovere, cioè a sposare quella ragazza che egli aveva disonorato ... Dopo la mia lettera venne subito ». Mater igitur filio in mentem revocavit suam obligationem ducendi sponsam a se defloratam et praegnantem redditam, eique aperuit se eum filium abdicaturam esse si officium suum adimplere nollet.

7. — Ipse actor de influxu suae matris haec deposuit: « Conosciuto il mio indirizzo, al tempo in cui mi trovavo a Genova, anche lei (scl. mater) mi scrisse: non mi parlò degli insulti che le rivolgevano i parenti di Lucia ma mi fece presente del dovere che avevo di riparare all'onore della ragazza, e di pensare al figlio che stava per nascere ». Quae autem acciderint postquam Romam reversus est, vir sic exposuit: « Io non dicevo di no, ma cercavo di rimandare sperando di poter esimermi dal matrimonio. Non trovai però alcun rifugio o alcun consiglio perchè mia madre parteggiava completamente per la Lucia. Mi diceva che il mio era stato un agire da mascalzone, e che era giusto che io dovessi riparare all'onore della ragazza. Aggiunse che non mi avrebbe riconosciuto più per figlio se mi fossi rifiutato ». Quamvis autem mater semel vel bis filio aperuerit se eum non amplius uti filium consideraturam esse si puellam ducturus non esset, tamen probatum non est filium matrimonium ideo contraxisse, quia secus timuisset incurrere in magnam diuturnamque indignationem matris. Potius apparet virum cessisse matris instantiis, quae ipsi obligationem contrahendi ante oculos ponebat, eique morem gessisse.

8. — Sane, nullus testis confirmavit matrem institisse sub illis verbis aut filium cessisse ob dictum timorem; neque ullo modo probatum est matrem adhibuisse media vexantia aut simpliciter iniusta ut filium ad contrahen-

dum permoveret. Potius testes unice loquuntur de obligatione conscientiae filio a matre in mentem revocata. Matrem adiuvit Rev. P. Narcissus, qui de suo interventu haec retulit: « Dissi infatti qualche parola alla madre di Tito e questa riuscì a far tornare a Roma il figlio. Ebbi anche dei colloqui con quest'ultimo (scl. post eius reditum) e cercai di fargli comprendere le sue responsabilità, spiegandogli anche che non era poi ragionevole aver tanto spavento, poichè anche altre donne avevano sposato in simili condizioni e le cose erano andate bene ». Hisce et matris monitis Titus serio non restitit, sed — licet aegre — matrimonium contrahendum acceptavit. De modo autem, quo sese promptum declaravit ad id, nos docet dña T. R., quae in eadem domo ac mater Titi habitabat. « Quel che mi consta — ita haec testis — è che egli era molto devoto di sua madre e la sentiva molto; perciò finì col dirle: „ Mamma, tu vuoi che mi sposi? Ebbene, obbedirò, ma ognuno rimarrà nella propria casa " ». Manifestum proinde est actorem passum non esse reverentialem metum *qualificatum*.

II — *De simulatione consensus matrimonialis*

9. *In iure.* — Cum asserta simulatio consensus matrimonialis in casu arcte connexa sit cum finibus matrimonii, cumque Summus Pontifex gloriose regnans die 3 Octobris 1941, inaugurans novum annum iuridicum S. Rotae, de finibus matrimonii quaedam dixerit quibus Auditores invitare videbatur ad hoc punctum melius perscrutandum et accuratius pertractandum, praestat exponere quae sequuntur.

Ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus et Litteris Encyclicis, ex communi Theologorum, Canonistarum, Moralistarum doctrina, ex explicitis Iuris Canonici verbis constat plures esse matrimonii fines, quorum alius est primarius, alius secundarius. Can. 1013, § 1, ad

rem haec statuit: « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae ». Verbum « finis » in fontibus allegatis sumitur sensu technico et significat bonum in quod obtinendum tenditur, sive ex indole naturae sive ex intentione deliberate agentis. Nota distinctio inter « finem operis » et « finem operantis » (qui possunt esse unus vel plures) adhibenda est etiam in matrimonio. « Finis operis » in matrimonio est illud bonum in quod obtinendum matrimonium tendit ex natura sua, quam Deus Creator instituto matrimonii indidit. Siquidem matrimonium « suapte natura divinitus est institutum » et « ab ipso auctore naturae Deo atque eiusdem naturae restitutore Christo Domino legibus est communitum, confirmatum, elevatum », ideo « ex Deo sunt ipsa matrimonii institutio, *fines*, leges, bona » (Litt. Encycl. *Casti connubii*, *A. A. S.*, vol. XXII, pp. 541 et 542). Porro « finis operantis » est illud bonum, in quod obtinendum tendit contrahentium voluntas. Per se patet *finem operantis* cum *fine operis* coincidere posse; immo Pius XI f. m. contrahentes expresse monet ut « eos fines in matrimonio quaerant propter quos illud est a Deo constitutum » (loc. cit., pag. 586); et Catechismus Romanus, ubi agit de causis quibus homines ad matrimonium contrahendum impellantur, primo loco ponit unum ex finibus operis, dicendo: « Prima igitur est haec ipsa diversi sexus naturae instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata, ut alter alterius ope adiutus vitae incommoda facilius ferre, et senectutis imbecillitatem sustentare queat » (pars. II, cap. VIII, q. 13). At non semper isti duo fines coincidunt. Etenim accidere potest ut finis operantis sit omnino extra vel praeter finem operis, si v. g. contrahens tamquam finem primarium matrimonii sibi constituit acquirere divitias vel effugere malum secus sibi imminens. Finis operantis potest esse etiam contrarius fini operis, id quod accidit quoties qui init matrimonium, intendit bonum seu finem, qui uni vel omnibus

finibus operis, idest matrimonii, repugnat. Sed de fine *operis* iam seorsum agendum est.

10. — Matrimonium, consideratum uti opus et institutum naturae, est societas naturalis, una et indivisa, specifice distincta a qualibet alia hominum associatione. Quare « finem operis » habere debet naturalem, unum et indivisum, specifice proprium et a quolibet alio fine distinctum. Siquidem finis, teste Angelico, est causa formalis, qua plurium unio peragitur atque specificatur talis qualis est. Unde provenit, quod ubi *plures* unius eiusdemque societatis assignantur « fines operis », ex iis *unus* debeat esse *primus* et *principalis*, rationem causae formalis habens, in quo alii fines contineantur vel ad quem alii accedant ut ipse facilius, securius, plenius obtineri queat. Necesse igitur est ut inter matrimonii fines determinatus sit ordo, secundum quem fini principali, qui naturam specificam matrimonii determinat, alii fines operis subordinentur.

11. — A. *De matrimonii fine primario.* Matrimonii « finis operis » primus et principalis, unus et indivisus, atque matrimonii naturam unice specificans, est *procreatio et educatio prolis.* Haec autem considerari potest a) *active*, b) *passive*, c) *sub utroque respectu.* « Active » considerata respicit activitatem coniugum, seu coniuges quatenus prolem generant educantque; « passive » intellecta respicit prolem inquantum generatur et educatur; « sub utroque respectu » sumpta coniuges et prolem simul complectitur. Fines vero secundarii, qui dicuntur ordinati ad finem primarium, possunt spectare potius unam quam alteram rationem, scl. vel activam vel passivam, sed possunt etiam aequali modo utramque rationem respicere.

12. — *a*) Haec matrimonii *ordinatio* ad finem primarium *obiectiva*, quae in eius natura recondita est, si consideratur in ordine exsecutionis, consistit in eo quod coniunctio matrimonialis (sive haec consideretur « in fieri »

sive « in facto esse ») ex natura sua contineat et afferre valeat ea omnia quae ex parte activitatis humanae requiruntur et sufficiunt, ut prolis generatio et educatio (modo naturae humanae convenienti eaque digno) obtineri possit. Etenim coniugio, ex ipsa sua natura, inest haec ad dictum finem *destinatio, aptitudo, sufficientia*, quia omnes, qui matrimonium contrahunt vel in eo vivunt, uniuntur et inter se iunguntur mutuo iure exclusivo et perpetuo ad ponendos actus per se aptos ad prolis generationem. Posito autem hoc iure, attenta simul impulsione vehementi appetitus sexualis ad exercendam facultatem generativam, attento denique quod huic appetitui cedere hominibus non liceat nisi intra sacra matrimonii septa: profecto in matrimonio assecutioni finis procreationis et educationis prolis sufficienter et efficaciter provisum est.

13. — Et haec naturalis ad finem primarium destinatio, aptitudo et sufficientia habetur in *omni* valido matrimonio (etiam sterilium et senum) eique adeo essentialis est, ut sine ea nullum coniugium oriri aut permanere queat. Nullum enim matrimonium contrahi, nullum coniugium permanere potest, nisi in coniugibus fundetur vel remaneat ius illud radicale in corpus compartis relate ad actus generativos; *si deest vel corruit hoc ius radicale, matrimonium constitui nequit, vel, si iam constitutum, una cum iure radicali corruit* (id quod fit per dispensationem super matrimonio rato et non consummato).

14. *b*) Non minus quam ipsum matrimonium, *actus* quoque *coniugalis* dicto fini primario subordinatur et devincitur, et quidem eo gradu, ut exercitium huius actus tunc solum permittatur, si et quamdiu in eo verificatur et servatur essentialis sub fine primario matrimonii subordinatio. Servatur vero eo, quod coniuges, actum coniugalem naturali modo peragentes, ea omnia afferre valeant quae ex parte activitatis humanae ad prolis generationem requiruntur et sufficiunt (cfr. sent. Rotal. diei 25 Aprilis 1941, coram Wynen, in qua fuse agitur de hac

subordinatione actus coniugalis et de elementis in copula essentialiter requisitis ad hoc ut copula dici queat per se apta ad prolis generationem).

15. — Haec sub fine primario subordinatio, quae actui coniugali naturaliter peracto inest ex eius naturali structura, servatur et verificatur etiam in copula sterilium aliorumque qui, ob causas actui extrinsecas, naturali matrimonii usu prolem generare nequeunt. Ad rem sunt haec verba Pii XI f. m. in Litt. Encycl. *Casti connubii*: « Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorumdam defectuum causas nova inde vita oriri non possit ». Neque desunt honesti fines et motiva, cur in talibus condicionibus coniuges suo iure utantur; pergit nempe Pontifex, dicendo: « Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit *intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio* » (*A. A. S.*, vol. XXII, pag. 561).

16. — Actum coniugalem subordinatum esse fini primario matrimonii inculcat etiam Summus Pontifex gloriose regnans in Sua Allocutione ad S. Rotam supra commemorata; nam reprobat scribendi et iudicandi modum eorum qui actum coniugalem aut omnino solvunt aut ultra debitam mensuram abducunt a matrimonii fine primario, ad quem idem actus secundum totam suam structuram ordinatur. In talem errorem incidere dicendi sunt praeter alios etiam illi qui sustinent ad essentiam actus matrimonialis sufficere, quod hic actus secundum suam externam speciem naturali modo peragi possit, etiamsi in eo peragendo deficiat unum ex elementis, quae ex parte ipsius activitatis coniugalis omnino necessaria sunt et quorum defectus antecedens et insanabilis iuxta cons-

tantem iurisprudentiam S. Rotae (cfr. sententiam supra allegatam) hominem reddit ad matrimonium impotentem, si scl. in eo deest facultas seu potentia effundendi in actu coniugali *verum semen* idest in testiculis elaboratum, etsi careat spermatozois. Verba Pii XII sunt haec: « Due estremi ... sono da fuggirsi: da una parte, il negare praticamente o il deprimere eccessivamente il fine secondario del matrimonio e dell'atto della generazione; dall'altra, lo sciogliere o il separare oltre misura l'atto coniugale dal fine primario, al quale secondo tutta la sua intrinseca struttura è primieramente e in modo principale ordinato » (*A. A. S.*, vol. XXXIII, pag. 423) [2].

17. — B. *De matrimonii fine secundario.* Finis secundarius matrimonii in citato canone 1013 assignatur duplex, videlicet « mutuum adiutorium » et « remedium concupiscentiae », qui fines sunt « fines operis », non tantummodo « fines operantis ».

18. — *a*) De altero fine secundario, de « remedio concupiscentiae » et de eius ad finem primarium relatione, pauca dicenda sunt.

Facile intelligitur hunc finem ex natura sua subordinari fini primario generationis. Nam concupiscentia sedatur *in* matrimonio et *per* matrimonium licito facultatis generativae usu, qui fini primario matrimonii destinatur, proportionatur ac subordinatur modo in antecedentibus dicto. Eo ipso autem etiam « sedatio concupiscentiae », quae in actibus coniugalibus exercendis habetur, simul cum ipsis fini primario matrimonii subordinata est.

19. — *b*) Alius finis secundarius est « *mutuum adiutorium* », quod sat varias coniugum mutuas praestationes seu officia comprehendit, v. g. cohabitationem, communionem mensae, usum bonorum materialium, victus acquisitionem et administrationem, auxilium magis personale in variis vitae condicionibus, in exigentiis psy-

[2] Cfr. *Periodica*, XXX, 312.

chicis et somaticis, in usu naturalium facultatum atque etiam in exercitio virtutum supernaturalium (cfr. Litt. Encycl. Leonis XIII *Arcanum*, n. 8 et 14, apud *Codicis I. C. Fontes*, vol. III, pag. 156 et 161, atque Litt. Encycl. Pii XI *Casti connubii*, *A. A. S.*, vol. XXII, p. 548 s.).

20. — Recentissimis his nostris temporibus auctores quidam, de finibus matrimonii disserentes, hoc « mutuum adiutorium » alio modo explicant, inquantum scl. « esse personale » coniugum auxilium et complementum accipit atque contendunt, non secundarium sed primarium finem matrimonii esse hanc « personae » coniugum *evolutionem atque perfectionem*, quam tamen non omnes eodem, sed alii sub alio respectu considerant atque urgent. Hi novatores in re matrimoniali a vera certaque doctrina recedunt, quin solida et probata argumenta pro suis opinionibus afferre valeant. Sepositis igitur hisce doctrinis quorundam auctorum recentiorum, iam ordo et dependentia inter finem primarium et finem secundarium matrimonii examinanda sunt, omisso « remedio concupiscentiae », quod supra iam paucis verbis absolvimus.

21. — C. *De relatione matrimonii finis secundarii ad finem primarium.* Mutuum adiutorium et totius vitae consortium inter duas personas diversi sexus etiam *extra matrimonium* haberi potest, sive per modum solius facti, uti inter fratrem et sororem una viventes, sive vi explicitae conventionis de mutuo adiutorio sibi invicem praestando. Ideo mutuum adiutorium vitaeque communio, inquantum dicuntur et sunt *matrimonii propria* eiusque *secundarius finis operis*, considerari debent secundum proprietatem quandam specialem, qua distinguuntur a qualibet alia communione vitae, cum mutuo adiutorio coniuncta. Distinguuntur autem *interna sua relatione ad finem primarium*, quo fine coniunctio coniugalis a qualibet alia hominum associatione discernitur.

22. — *a*) Haec finis secundarii ad primarium relatio invenitur primo in *origine* huius finis et in origine cor-

respondentis iuris ad mutuum adiutorium. Quod ita demonstrari potest: Immediatum et essentiale contractus matrimonialis obiectum est exclusivum et perpetuum ius in corpus compartis in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081, § 2). Ex hoc iure tamquam naturale consequens et complementum provenit ius ad ea omnia sine quibus iuri generandae - - et consequenter etiam educandae - prolis satisfieri nequit modo qui dignitatem naturae humanae decet. Iamvero iuri generandae educandaeque prolis dicto modo satisfieri nequit, nisi ad hoc ius principale accedat ius ad mutuum adiutorium, quod includat ius ad vitae consortium seu ius ad cohabitationem, ad communionem mensae et thori, atque ad auxilium in omnibus vitae indigentiis. Notetur tamen heic non agi de ipso adiutorio de facto praestito, sed de *iure* ad mutuum adiutorium; nam sicut obiectum *principale* contractus matrimonialis non est « proles », sed « ius » ad generandam prolem, ita obiectum *secundarium* non est ipsum « mutuum adiutorium », sed « ius » ad illud.

23. — Ex dictis sequitur, ius ad consortium vitae mutuumque auxilium non oriri in contrahentibus nisi ex primario iure generandae prolis. Sequitur etiam, iniri non posse contractum matrimonialem qui sit de mutuo adiutorio et simul praescindat a tradendo et acceptando iure in corpus; talis enim contractus (nullo tradito iure in corpus) nonnisi extra matrimonium, a duabus personis diversi sexus iniri potest. Contractus matrimonialis taliter *attentatus* esset nullus nullumque conderet ius matrimoniale in contrahentibus, neque principale neque secundarium. E contrario omnis consensus matrimonialis de tradendo et acceptando iure in corpus eo ipso in contrahentibus exsurgere facit ius ad vitae communionem mutuumque auxilium.

24. — Cum vero istud ius secundarium non ingrediatur ius principale tamquam eius pars constitutiva, neque

cum eo iungatur tamquam eius praerequisita conditio sine qua non, valide iniri potest contractus matrimonialis de iure principali, explicite denegato iure secundario. De *cohabitatione* in specie, quae est unum ex praecipuis bonis cum fine secundario cohaerentibus, eiusque exclusione in contrahendo apud Wernz-Vidal haec leguntur: « Coniuges, cum debito coniugali regulariter et convenienter satisfacere non possint sine cohabitatione, ex fundamentali illo iure et officio vitae maritalis etiam obstricti sunt iure oneroso, ut non tantum in eadem domo communi utantur habitatione, sed etiam communi mensa et thoro, nisi in casibus a iure exceptis. Quae assidua cohabitatio et communio thori et mensae pertinent ad integritatem individuae vitae, non ad essentiam vitae coniugalis, ideoque interdum in casu particulari, ex causa proportionata abesse possunt, velut in matrimonio conscientiae, et obligatio iustitiae ad ipsas quamdam latitudinem admittit » (*Ius can.*, vol. V, n. 600). Et Gasparri ad rem docet: « Plures censent esse contra substantiam matrimonii conditionem de non cohabitando in perpetuum; sed si ius matrimoniale utrique parti sartum tectumque sit, non putamus hanc doctrinam veram esse, quia communio habitationis, tori et mensae non pertinent ad substantiam matrimonii; et revera nonnunquam matrimonium conscientiae cum hac tacita vel expressa conditione permittitur » (*De matr.*, ed. 1932, n. 905).

25. — Haec valent etiam de casu, quo contrahentes, renuntiantes fini secundario cohabitationis totique mutuo adiutorio cum ea coniuncto, simul statuunt non uti iure in corpus tradito et acceptato. « Sicut non est contradictio accipere ius iam in ipsa acceptatione impeditum quoad usum, ut evenit quando duo voto castitatis ligati contrahunt matrimonium, ita non est contradictio tradere ius quoad usum impeditum ex consensu alterius partis in tale impedimentum » (Wernz-Vidal, n. 521, nota 46). Ratio autem interna, ob quam hoc admitti debeat, est haec: « Con-

iuges non obligantur ad copulam nisi in quantum altera pars petat, quae iuri petendi renuntiare potest se obligando ad non petendum, nec obligantur coniuges ad positivam prolis generationem, modo eam positive non impediant aut prolem enecent» (idem auctor, n. 521). Quod De Smet ita exprimit: «Nihil impedit quominus, ex una parte, ad invicem praestetur consensus matrimonialis, ac plenum dominium transferatur in mutuum corpus, et quod, ex alia parte, distincto actu inter se conveniant et voveant nupturientes *non uti* iure accepto, ac castitatem servare. Non excluditur ius utendi, sed iuris exercitium dumtaxat» (*De spons. et matr.*, ed. 3, n. 156, nota 2).

Quamvis haec, iuxta probatos auctores, de *pacto* inter nupturientes inito uti sententia communis acceptanda sit, tamen auctores in diversas abeunt sententias si iuris exercitium omittendum consensui alligatur tamquam *conditio sine qua non*. Quidquid sit de merito huius controversiae, matrimonium contractum declarari nequit nullum in tali casu, quoniam scl. quaestio iuris non est certa (cfr. de hac quaestione Cappello, *De matr.*, ed. 3, n. 635 s.; Wernz-Vidal, l. c. n. 521, nota 46; De Smet, l. c., n. 156, nota 2). At non obstantibus expositis, dicendum est: sicuti in certis circumstantiis firma et definitiva voluntas non adimplendi *indicium* esse potest defectus voluntatis contrahendi et se obligandi (qui defectus utique aliunde adhuc melius demonstrandus est), ita etiam seria et definitiva voluntas non concedendi ullo modo aut unquam ius ad vitae consortium ac ceterum mutuum adiutorium, *indicium* plus minusve certum esse potest defuisse in contrahente intentionem tradendi comparti ius principale in proprium corpus, licet ex hoc uno indicio nunquam certitudo moralis oriri possit de defectu voluntatis contrahendi et sese obligandi.

26. — Ex adductis concludendum est quod sequitur. Sicuti *ius* ad consortium vitae ac universum mutuum adiutorium in sua origine est intrinsecus dependens a *iure*

principali ad actus generativos, non autem viceversa; et sicuti inter *iura* matrimonialia exsistit determinatus ordo, et determinata dependentia: ita etiam *fines* matrimoniales, in quos illa iura ordinantur et propter quos a natura conceduntur, ratione originis certo ordine componuntur atque inter se connectuntur. Constituto fine principali et primario, Auctor naturae matrimonio tamquam instituto naturae constituit finem secundarium, complementarium, ut ei *in* et *ex* eodem instituto, quod matrimonium vocatur, satisfieri debeat apteque valeat.

27. — Corollarii modo addatur notam *Modestini* definitionem vel potius descriptionem matrimonii: « Nuptiae sunt coniunctio maris et foeminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio » (Dig., lib. XXIII, II, *De ritu nuptiarum*, lib. I, Regularum) enumerare una simul elementa et essentialiter constitutiva et naturaliter consequentia, quin appareat, quinam inter ea sit ordo et quaenam dependentia. Ideo ex hac celebri matrimonii descriptione nonnisi caute et distinguendo inquisitio in fines matrimonii procedere potest. Etenim, prout supra iam dictum est, sicuti in matrimonio contrahendo « ius in corpus » et « ius ad adiutorium » non sunt aeque principalia seu coordinata, sed se habent ut obiectum principale seu superordinatum et obiectum secundarium seu subordinatum, ita etiam fines, iuribus correspondentes, non sunt aeque principales vel coordinati, sed unus est principalis, alter secundarius et subordinatus.

28. — *b*) Descriptus ordo dependentiae et subordinationis non solum invenitur *in origine* iuris secundarii, quod assecutioni finis secundarii destinatur et per quod haec assecutio per se in tuto collocatur, sed idem ordo patefit etiam in coniugio, « *in facto esse* » considerato.

Omnis quidem homo, quippe qui ex natura sua est « ens sociale », indiget aliorum auxilio; quod auxilium invenit eo quod est membrum tum societatis humanae in genere, tum determinatae societatis civilis et domesticae in

specie. In hoc omnibus commune adiutorium intrat etiam auxilium et complementum, quod unus sexus (etiam absque ullo affectu et activitate carnali) accipit ex indole alterius sexus; constat enim societas humana ex viris et feminis, in invicem influxum exercentibus. At hoc adiutorium commune non potest constituere finem operis matrimonii; ut hunc constituat, ulterius determinari debet aliquo *elemento specifico*, ex quo appareat, cur « mutuum adiutorium » a Creatore inditum sit matrimonio tamquam finis operis. Hoc elementum specificum iterum est et debet esse *relatio ad finem primarium et ad ius principale*. Coniuges nempe ex ipsa natura matrimonii fini primario huius instituti ideo devincti sunt, quia per matrimonium acquisierunt ius et destinationem evadendi « auctores novae vitae », procreando et educando prolem, etsi de facto non evadant.

Ut vero huic specificae destinationi debite satisfacere valeant, indigent multiplici mutuo adiutorio, et quidem non tantum respectu activitatis generativae proprie dictae, sed etiam respectu finis primarii in sensu completo, idest tam active quam passive sumpti. Etenim evadere « auctores novae vitae » natura vult eos qui, onusti multiplicibus naturae et vitae exigentiis, simul dignitate humana ornati sunt; et quia tales sunt, natura ad ius principale accedere facit multiplex adiutorium et totius vitae communionem. Haec mutui adiutorii matrimonialis *nota specifica*, quae manat ex ipsa interna structura matrimonii, habetur etiam in matrimonio in quo coniuges nolunt vel non possunt ad effectivam generationem transire. Siquidem non dependet a voluntate humana neque tollitur aliquo impedimento externo id quod in natura « operis » seu coniugii reconditum est per ipsum Creatorem.

29. -- Cum insuper hoc specificum mutuum adiutorium matrimoniale, cum ipsa institutione matrimonii datum, directe comprehendat solummodo *aptitudinem et destinationem* ad quodlibet requisitum auxilium, in tuto positam per concessionem iuris proprie dicti ad tale adiu-

torium, non autem ipsum actuale auxilium; cumque ex altera parte ad valide contrahendum non necessario requiratur traditio huius iuris ad dictum adiutorium (cfr. supra n. 24): facile patet verum matrimonium exsistere posse, quin coniuges revera fruantur hoc subsidio quod natura coniugio dare intendit. Patet insuper, curnam actualis usus mutui auxilii non sit ex natura rei restrictus ad servitium iuris primarii. Mutuum adiutorium matrimoniale a natura potius datum est ad iuvandas *ipsas personas coniugum*, quatenus isti destinati sunt ad id ut evadere possint, non quocumque sed apto debitoque modo, « auctores novae vitae », *per quos*, debito auxilio ita munitos, deinde iuvatur *ipsa activitas generativa*. Si nempe personae generantes quoad indigentias et necessitates vitae (quae ex prole generanda adhuc augentur) tum quoad se tum quoad prolem in tuto sint positae, activitati quoque generativae per se bene consulitur. Unde patet, *omne* mutuum adiutorium, quod ex matrimonio absque damno finis primarii manat, contineri intra limites finis secundarii, et, personas coniugum iuvando fovendoque, habere ad finem primarium specificam aptitudinem, destinationem, subordinationem (non obstante quadam relativa independentia quae iuxta exposita fini secundario inest).

30. — Quae hucusque dicta sunt de fine secundario matrimonii « in facto esse » considerati, breviter sic comprehendi possunt:

1° Destinatio et correspondens ius ad mutuum adiutorium insunt matrimonio ex sua natura et ex voluntate Creatoris, et constituunt eius secundarium finem operis. Ideo a vera et perfecta communione coniugali nunquam abesse possunt neque unquam frustra exsistunt quousque ipsum matrimonium una cum suo fine primario et iure principali exsistit.

2° Mutuum adiutorium, consideratum uti finis secundarius matrimonii « in facto esse », dicit respectu finis primarii finem dependentem, subordinatum, quia prop-

ter finem primarium a Creatore coniugio inditus est. At est elementum ab extra accedens et non-constitutivum tantummodo ratione *finis primarii*, non autem respectu *ipsius matrimonii*, quasi esset finis *extra-matrimonialis;* est enim finis « intra-matrimonialis », licet non eodem gradu ac finis primarius.

3° Aptitudo et ius ad mutuum adiutorium non restringuntur ad *activitatem generativam* neque primario hanc ipsam respiciunt, sed potius *personas generantes*, quatenus istae propter matrimonium initum destinatae sunt ad hoc ut possint esse *auctores novae vitae*.

4° Finis secundarius habet quandam independentiam, eatenus videlicet quatenus in personis coniugum verificari et ad effectum perduci potest iis quoque in casibus, in quibus assecutio finis primarii impeditur, sive ad tempus sive in perpetuum. Cuius ratio est, quod mutuum adiutorium (pariter ius ad illud) non constituit partem essentialem iuris et finis primarii. Est potius *extra essentiam* iuris et finis primarii, quamvis sit aliquod eius *naturale consequens* et verum ac proprie dictum *ius* matrimoniale.

5° Qui mutuum adiutorium matrimoniale, latissime intellectum, solvit ab eius intrinseca subordinatione sub fine primario, non solum offendit rei veritatem et intentionem ipsius Creatoris, sed necessario etiam viam parat funestis consequentiis.

31. *In facto.* — Antequam Titus e fuga sua Romam reversus erat, Lucia, sciens quod vir recusabat nuptias ob timorem ne ab ipsa inficeretur, matri Titi declaravit se contentam esse celebratione matrimonii et renuntiare cohabitationi et usui matrimonii. « Ancor prima che egli giungesse — ait viri mater — io telefonai a Lucia esortandola a pregare il Signore perchè accomodasse tutto ed avverasse quel matrimonio in santa pace; ma lei mi rispose duramente, dicendomi che non voleva sentire nè sapere nulla, che voleva il matrimonio solo come riparazione del suo onore, e poi ognuno dei due sarebbe potuto rimanere in

casa propria ». Et post reditum viri puella idem dixit, sicuti testatur dña Silvia, dicens: « Ricordo che questa diceva: « Mi deve sposare ad ogni costo, e non m'importa se poi mi lascia a casa mia e lui se ne sta per conto suo » Idem testatur dña T. R.

Hoc modo ipsa puella removit impedimentum, ob quod Titus eam non amplius ducere volebat. Siquidem vir « è molto salutista, tanto è vero che appena si rese conto della gravità delle cose, non solo si astenne da ogni ulteriore rapporto, ma si fece fare l'analisi degli sputi » (dñus Silvius herus et benefactor viri).

32. — Eiusdem opinionis ac Lucia erat eius soror Aemilia, quae ex colloquio cum matre viri ante huius reditum habito haec retulit: « Le dissi pure che mi contentavo che il giovane avesse sposato mia sorella per l'onore di lei e per il figlio che doveva nascere, e non m'interessava se poi me la lasciava in casa. Dissi questo sperando che l'opera del tempo e la nascita del bambino avrebbero condotto il Tito a compiere i doveri maritali ».

Audito igitur proposito puellae eiusque sororis, vir in contrahendum matrimonium consensit, ex sua quoque parte declarans se post nuptias non cohabitaturum esse cum uxore. « Poco dopo — prosequitur conventae soror Aemilia in sua depositione — il Tito tornò a dire che avrebbe sposato, ma avrebbe lasciato la sposa a casa sua: questo dichiarò in casa mia in presenza di tutti i famigliari ». Id confirmat altera conventae soror nomine Mara, aiens: « Difatti poco dopo il Tito ritornò e disse a mia sorella che l'avrebbe sposata, ma che il loro sarebbe stato un matrimonio per modo di dire, giacchè egli sarebbe rimasto a casa sua, e la sposa a casa mia ». Pariter plures alii testes.

33. — Ipse actor concordat cum dictis testium, nam fassus est: « Mi decisi perciò a fare il matrimonio, ma dissi chiaramente a Lucia che lo facevo per riparare il suo onore, ma non avrei mai vissuto con lei. Lei accettò rendendosi perfettamente conto che io non avrei adempito nes-

suno dei doveri coniugali... Accedetti all'altare con la precisa intenzione di non stabilire la convivenza ». Concinit mulier conventa, quae dicit: « Infatti, dopo circa quattro mesi di insistenze, Tito ritornò e mi disse che per far finire tutte quelle storie mi sposava, però non avrebbe mai fatto vita comune con me », addens se hoc acceptasse.

34. — Quod autem sponsi ante nuptias de communi consensu statuerunt, id post nuptias exsecutioni mandarunt, quoniam vir nunquam instituit cohabitationem. Hoc omnes testes una cum partibus concorditer declaraverunt. Ex hisce depositionibus sufficit adducere quae sequuntur. « Non fecero il viaggio di nozze. I due sposi con la madre dello sposo si recarono quel giorno a Rocca di Papa, ove stava a villeggiare una sorellastra di Tito. A sera ritornarono e ognuno dei due sposi ritornò nella propria casa secondo il convenuto » (dña A. B.). « Dopo il matrimonio i due sposi ed alcuni parenti fecero un giro a Rocca di Papa. Rividi il Tito quella sera stessa e lo accompagnai a casa sua in via N. N. Egli mi disse che era d'accordo con sua moglie che ognuno sarebbe rimasto a casa sua » (dñus P. G.). « Furono mantenute le intese intervenute fra i due prima del matrimonio, e perciò ognuno dei due coniugi, quel giorno stesso (scl. die nuptiarum) se ne ritornò alla propria casa. Questa condizione di cose è perdurata invariata fino al presente » (dñus Silvius). Invanum autem Luciae soror tentavit inducere virum ad cohabitandum et ad alias obligationes matrimoniales adimplendas, id quod ipsa soror retulit hisce verbis: « Talvolta ho incontrato il Tito con altre donne e l'ho redarguito. L'ho esortato con le buone e con le cattive ad unirsi con la moglie, ma egli ha sempre rifiutato, ora portando il pretesto della malattia, ora dichiarando che non è adatto a fare il padre di famiglia perchè vuole vivere libero, rientrare tardi la notte ». Equidem morbus mulieris non adeo gravis apparuit sicuti primus medicus professor A. censuerat, nam praeter exspectationem morbus decursu temporis levior factus est, etsi pe-

riculum inficiendi alios vix evanuisse dici possit. Quidquid sit, vir, qui « è molto salutista », nunquam recessit a sua repugnantia cohabitandi cum sua uxore.

35. — Iamvero ante omnia dicendum est Titum in contrahendo non exclusisse ipsum finem primarium matrimonii seu procreationem et educationem prolis quoad *ipsum ius* in corpus compartis relate ad actus generativos. Titus utique non libenter duxit puellam graviter aegrotam, nam ad contrahendum inductus est partim instantiis puellae eiusque propinquorum atque certo metu inde orto, partim precibus piae suae matris atque desiderio consulendi honori mulieris et bono prolis nasciturae. At ex actis deduci nequit eum ob haec motiva positivo voluntatis actu exclusisse ipsum ius radicale ad actus vere coniugales. Ex viri modo loquendi et agendi sequitur potius contrarium.

Ex modo loquendi. Ipse v. g. in iudicio declaravit: « Lei accettò (scl.: che non avrei mai vissuto con lei) rendendosi perfettamente conto che io non avrei *adempito* nessuno dei doveri coniugali »: ergo vir exclusit tantummodo *adimplementum* obligationum matrimonialium, non autem ipsas obligationes. Pariter dña Silvia: « Tito mi ha sempre detto di non aver mai *usato dei diritti* maritali perchè sempre vivamente preoccupato di contrarre la malattia della sposa »: quare vir haec iura in contrahendo non exclusit, sed tantum abstinuit *usu* horum iurium, neque ullo modo vir sibi conscius erat se nullum ius in corpus uxoris habere aut nulla obligatione teneri. Sic autem non loquitur qui scit se in contrahendo positive denegasse quodpiam ius, et nullam obligationem suscepisse.

Ex modo agendi. Si revera consensum matrimonialem simulasset, vir — spectatis particularibus circumstantiis causae — id certo aliquando manifestasset, sive ante nuptias sive decursu decennii post nuptias elapsi. At vir nullum testem inducere potuit, cui assertam simulationem consensus matrimonialis clare aperuisset. In libello autem, quo matrimonium suum accusavit nullitatis, vir ipse commemorat

« l'espresso proposito di non consumarlo », atque in iudicio iterum ac saepius, confirmantibus omnibus fere testibus, ait tantum se cum puella transegisse et convenisse, quod cohabitatio coniugum post nuptias non institueretur. Idem loquitur quidem etiam de « pacto », hac de re cum puella inito. Sed indifferens est in casu, utrum agatur de vero oneroso pacto bilaterali, an de mera transactione amicabili, inter virum timentem infectionem et puellam desiderantem matrimonium conclusa.

36. — Etenim sola exclusio finis secundarii matrimonii et correspondentis iuris non invalidat matrimonium. Id in specie de cohabitatione, quae solum ad integritatem non ad essentiam matrimonii pertinet, quaeque est unum ex praecipuis bonis cum fine secundario matrimonii cohaerentibus, a probatis auctoribus uti certum docetur (n. 25). Immo, etiamsi in casu ageretur de vera conditione *sine qua non* a viro consensui apposita (dato, nullatenus concesso), matrimonium non posset declarari nullum (ibid.). Neque aliter iudicandum est ex circumstantia, quod in casu contrahentes, simul cum cohabitatione, excluserint etiam usum matrimonii. Sicut enim « non est contradictio accipere ius iam in ipsa acceptatione impeditum quoad usum, ut evenit quando duo voto castitatis ligati contrahunt matrimonium, ita non est contradictio tradere ius quoad usum impeditum ex consensu alterius partis in tale impedimentum ». Etenim « coniuges non obligantur ad copulam nisi inquantum altera pars petat, quae iuri petendi renuntiare potest se obligando ad non petendum, nec obligantur coniuges ad positivam prolis generationem, modo eam positive non impediant » (n. 24). Iamvero Lucia, ut superaret Titi timorem infectionis, sua sponte renuntiavit iuri petendi debitum, quam renuntiationem vir acceptavit.

37. — Si igitur, prouti in casu, neque partes neque testes quidquam de exclusione ipsius iuris ad actus conjugales revelaverint, et si omnino desint indicia ex quibus

exclusio ipsius *finis primarii* matrimonii et *correspondentis iuris principalis* deduci possit, declarari nequit virum in contrahendo positive denegasse tradere comparti relativum ius matrimoniale, praesertim cum vir, exceptis cohabitatione et usu matrimonii, semper se gesserit tamquam maritus. Ceterum non defuit totaliter « mutuum adiutorium » inter coniuges, praecipue quoad bonum materiale et spirituale filii. « I due sposi però — ait Rev. P. Narcissus — si vedevano, come apprendevo dai loro familiari, ed erano in buoni rapporti fra loro... Nacque il bambino concepito prima del matrimonio e ricordo che si fece festa in casa della sposa. Io vi presi parte, anzi mi pare che battezzai il bambino, ma posso assicurare che il padre era presente. Questi ha sempre pensato al mantenimento del figliolo ». At vir graviter reprehendendus est, quod « sedationem concupiscentiae », quae est unus ex finibus secundariis matrimonii, non intra sed extra matrimonium quaesivit.

38. — Neque dicatur actorem eiusque testes esse imperitos iuris ideoque adhibere non potuisse verba iuridica. Ab imperitis iuris utique exspectari non possunt expressiones iuridicae, sed si iidem in iudicio praeter cohabitationem exclusam nihil prorsus deposuerunt in praeiudicium validitatis consensus a viro praestiti, si vir nunquam suis propinquis et amicis dixit, quod sese non consideraverit ligatum vinculo matrimoniali, et si demum post decennium a nuptiis mulier a quodam sacerdote audivit cohabitationem exclusam secum traxisse nullitatem consensus, et si viri mater Summum Pontificem directe adiit Ei exponendo casum sui filii: tunc non remanet aliud nisi perpendere uti caput nullitatis illam cohabitationem iam ante nuptias exclusam et post nuptias nunquam institutam. Verum supra iam dictum est, ex hoc unico facto nullitatem matrimonii deduci non posse. Proinde supervacaneum est inquirere de *causa* assertae simulationis, seu de metu.

39. — Ideo Patres de turno declaraverunt omnia sua-

dere virum, sacerdote Narcisso monitore et pia matre hortante ut tum Luciae tum proli nasciturae ex obligatione conscientiae consuleret, verum consensum elicere voluisse et reapse elicuisse, quin eum positivo voluntatis actu essentialiter vitiaverit. Quare iam videndum, an constet saltem de *inconsummatione huius matrimonii* et de iusta causa dispensandi.

III — *De inconsummatione matrimonii*

40. *In iure.* — Matrimonium ratum et non consummatum a Summo Pontifice ex iusta causa dissolvi potest, « utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita » (can. 1119), dummodo praeterquam de iusta causa omnino constet de facto inconsummationis. Soluto matrimonio, idest exstincto iure radicali in corpus compartis, ipso facto corruit omne matrimoniale ius ad mutuum adiutorium. Verum hoc intelligendum est de solo titulo « *iuris matrimonialis* », non de quolibet alio titulo, sive caritatis sive iustitiae. Accidere sane potest ut post solutionem vinculi matrimonialis pristinae comparti et proli ante nuptias procreatae aliquod adiutorium praestandum sit, et ut ad hoc gravis, immo gravissima habeatur obligatio. Sed neque obligatio neque adiutorium in tali casu est « matrimoniale », quamvis forte respectivus titulus adsit, saltem ex parte, *propter* pristinum matrimonium. Unde intelligitur, curnam S. Sedes hinc inde, concessa gratia solutionis vinculi, explicitum det monitum, ut alteri parti indigenti et proli ante nuptias generatae quantum fieri possit consulatur; immo, curnam aliquando petitam gratiam solutionis matrimonii deneget, quia orator recusat parti, a qua recedere vult, debito modo succurrere.

41. — Quamvis autem exstinctum « matrimoniale ius ad adiutorium » non exstinguat eo ipso titulos auxilii exigendi, tamen ipsum hoc secundarium ius ex sese nequit esse ratio, ob quam perduratio vinculi exigatur, si pro

solutione vinculi adsit causa proportionate gravis. Tale quid exigere aequivalet tentamini invertendi ordinem ab ipsa natura constitutum atque innititur falso fundamento. Subordinatum enim et dependens ius nunquam potest, ratione sui, superare vel impedire ius principale ex quo manat. Solum si causae, ad obtinendam dispensationem super rato adductae, sint insufficientes, non tantum ius principale, sed etiam iura subordinata obstant concessioni imploratae gratiae, quoniam ex sese et ex titulo iustitiae exigunt ut vinculum permaneat. Sunt enim vera *iura* matrimonialia, ab Auctore naturae coniugibus data, matrimonio intrinseca, non tantum ab extrinseco ad illud accedentia.

42. *In facto.* — Uterque coniux in iudicio declaravit matrimonium nunquam consummatum fuisse. Vir ad rem haec exposuit: « Il domicilio coniugale non fu mai instaurato. Andai una volta in casa sua per il battesimo del bambino e un'altra volta, quando aveva sei anni, perchè era molto ammalato. Ci siamo veduti diverse altre volte per la strada o al negozio per parlare del bambino e per l'assegno mensile che io le passo. Le ho anche curato i denti (scl. in cubiculo sui heri, apud quem Titus laborat uti artifex technicus). Ma i rapporti di marito e moglie non vi sono mai stati e il matrimonio non è stato consumato ». Et mulier ait: « Egli (die scl. nuptiarum) mi riaccompagnò a casa, ma non volle salire. Non ci vedemmo più fino alla nascita del bambino, e comunicammo soltanto per telefono. Egli prese parte al battesimo del bambino e alla piccola festicciola di famiglia, insieme ai suoi parenti. Sia in questa circostanza che in molte altre i miei e suoi parenti insistettero perchè si instaurasse la convivenza, ma egli non ne volle sapere... Solo un'altra volta egli venne in casa mia per una malattia del bambino. Noi c'incontriamo rare volte e sempre in strada per trattare di cose riguardanti il bambino ». Equidem mulier oblita est commemorare se etiam in cubiculo (vulgo: gabinetto) medici dentium, apud quem Titus occupatus est uti « odontotec-

nico », vidisse suum maritum et cum eo locutam esse, sed per se patet hisce occasionibus matrimonium non potuisse consummari.

43. — Iuratae depositiones coniugum confirmantur a testibus, primum *indirecte*, inquantum testantur de religiositate et veracitate coniugum, licet vir quoad mores reprehendendus sit; deinde *directe*, nam omnes fere testes credibilitatis sunt etiam testes de scientia, inquantum tempore non suspecto a coniugibus de inconsummatione matrimonii audiverunt, prout sequitur ex testimoniis quae sequuntur. « Qualche volta intesi occasionalmente da Tito che il matrimonio non era stato consumato, perchè il giovane aveva paura del contagio » (Rev. P. Narcissus). « Sono convinto, per le continue confidenze ricevute da Tito, che il matrimonio non sia stato consumato... Non vi è stata mai convivenza. I due coniugi si vedono qualche volta per parlare del loro bambino » (dñus Silvius). « Per quel che ho sempre sentito in casa del Tito, i due sposi... non hanno più avuto rapporti di marito e moglie. Ritengo perciò che il matrimonio non sia stato consumato » (dña A. B.). « Anche in seguito potei constatare che egli non conviveva con la moglie, ed egli ebbe occasione di dirmi di non avere mai avuto con lei rapporti di marito e moglie dopo il matrimonio » (dñus A. F.). « Il Tito mi ha sempre detto di non aver mai usato dei diritti maritali perchè sempre vivamente preoccupato di contrarre la malattia della sposa. Perciò son persuasa che il matrimonio non sia stato consumato » (dña Silvia). At non solum vir, sed mulier quoque sempre declaravit matrimonium suum mansisse inconsummatum. « I due sposi si vedono qualche volta; ma so, per confidenze continue ricevute dalla mia sorella, che non hanno consumato il matrimonio » (Luciae soror Aemilia). « I due sposi hanno continuato a vedersi per trattare delle loro cose e s'incontrano specialmente al gabinetto dentistico del dott. Silvio ove mio figlio è impiegato. Ma rapporti intimi non sono più avvenuti, come mi consta

per confidenze dell'uno e dell'altro » (oratoris mater). « Mi consta per averlo continuamente appreso da Tito che i due sposi non hanno mai convissuto e non hanno mai consumato il matrimonio. Un giorno trovai Lucia presso la madre di Tito, ed anche lei, in conversazione, ammise di non aver più avuto rapporti col marito dopo la celebrazione di quel matrimonio. Tutto quello che io ho detto è *di pubblico dominio tra i parenti e i conoscenti delle due parti* » (dominus I. C.).

44. — Quamvis argumentum physicum in causa praesenti desit, tamen *argumentum morale* ex expositis apparet tam firmum esse, ut moraliter certum sit coniuges matrimonium suum nunquam consummavisse. Constat autem etiam de *causa inconsummationis* matrimonii. Idem nempe motivum, quod virum per plures menses deterruit a nuptiis ineundis, scl. timor infectionis, eum detinuit etiam a matrimonio consummando. Constat denique de *iustis causis dispensandi.* Nam dissociatio animorum coniugum hodie tanta est, ut uterque coniux reconciliationem reiiciat; instauratio vitae coniugalis iam sperari nequit; vir denique est in proximo periculo incontinentiae, et mulier liberari vult a viro, dicens se nuptam esse et maritum habere videri, at de facto non habere. Ideo Patres de turno declaraverunt consulendum esse Sanctissimo ut imploratam dispensationem concedere dignetur. Vir vero ab Ordinario monendus est, ne censeat se dissolutione sui matrimonii liberatum esse eo ipso etiam ab obligatione providendi sustentationi et educationi filii ante nuptias concepti et post nuptias nati; agitur nempe de obligatione quae independenter a matrimonio exsistit atque perdurat.

45. — Quibus omnibus in iure et in facto perpensis. Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus et definitive sententiamus: *Non constare de matrimonii nullitate, at consilium praestandum esse Sanctissimo pro dispensatione super matrimonio rato et*

non consummato, in casu, seu ad dubia proposita respondemus: *Negative, ad primum; affirmative, ad alterum, monito viro ut etiam in posterum provideat saluti materiali et spirituali filii ante nuptias geniti.*

Committimus proinde Exc.mo Nostro Decano, ut Ss.mo consilium praestet pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu. Obtentae autem dispensationis rescriptum actis causae inseratur et partibus notificetur.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 22 Ianuarii 1944.

Arcturus Wynen, *Ponens.*
Gulielmus Heard.
Albertus Canestri.

Ex Cancellaria, die 9 Februarii 1944.

L. ✠ S. Ioannes Pinna, *Notarius.*

Ex Audientia Ssmi diei 11 Februarii 1944, Sanctitas Sua, audita infrascripti relatione, petitam dispensationem super matrimonio rato et non consummato in casu benigne concedere dignata est, ea tamen lege ut vir etiam in posterum provideat saluti tum materiali tum spirituali filii ante nuptias geniti.

Iulius Grazioli, *Decanus.*

II

Romana[3]

NULLITATIS MATRIMONII ET DISPENSATIONIS SUPER RATO

...1. *Species facti.* Postquam matrimonium, quod Dña Agnes Romae in ecclesia paroeciali N. N. cum Dño Petro inierat, per octo annos remansit sine prole, infelix uxor, liberorum valde cupida, rescivit maritum suum, ob morbum venereum ante nuptias contractum et operationem

[3] Ex Decisione d. 25 aprilis 1941, coram Wynen, desumimus quae sequuntur.

chirurgicam passam, numquam liberos procreare posse. Ideo uxor discessit a viro et, de probabili nullitate sui matrimonii certior facta, die 23 martii 1939 matrimonium suum apud Vicariatum Urbis accusavit nullitatis ex capite impotentiae viri. Sententia tamen, die 25 iulii 1939 lata, votis actricis fuit contraria, adversus quam mulier appellationem interposuit ad S. Rotam. Actis per suppletivam causae instructionem auctis et obtenta a Romano Pontifice facultate cognoscendi etiam de inconsummatione matrimonii, hodie res definienda est respondendo ab bina dubia rite concordata:

I. *An constet de matrimonii nullitate, in casu* et quatenus negative:

II. *An consilium praestandum sit Ss.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

2. *In iure.* I. Can. 1068 de impotentia statuit: « § 1. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit. § 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum. § 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit ». Quare impotentia *coeundi* distinguenda est ab impotentia *generandi* seu a sterilitate. Prima habetur quando copula perfecta fieri nequit. *Copula perfecta* autem, prout in iure intelligitur, est ea in qua vir erecto membro vaginam vere, etsi gradu imperfecto, penetrat atque seminationem saltem partialem naturali modo immediate in ea peragit. Quae « seminatio » secundum constantem iurisprudentiam S. Rotae intelligitur emissio non qualiscumque liquoris, sed *veri seminis,* idest *elaborati in testiculis.* Impotentia generandi adest, quando, non obstante copula perfecta posita, procreatio prolis fieri nequit. Sicuti ex can. supra citato apparet, impotentia coeundi tunc tantum dirimit matrimonium, si sit *antecedens* et *perpetua et si insuper sit certa, idest* absque dubio sive iuris sive facti. Cum in causa prae-

tendatur eundem virum carere vero semine in testiculis elaborato, vel saltem eum semen suum, si quod habeat, ad extra eiaculare non posse. hisce de rebus accuratius agendum est.

3. « Testes seu testiculi scribit Antonelli (*Medicina pastoralis*, ed. 5, vol. I, p. 132) — sunt bina corpora, forma fere ovali, verae glandulae, quae continentur involucris seu bursis, quae anatomice *scrotum* appellantur ». « Uterque testiculus prosequitur Antonelli — involucro circumdatur, cui nomen tunica *albuginea* ... In parte vero superiore testiculis haec tunica praebet quamdam eminentiam, cui nomen *corpus Hygmori;* ab hoc corpore praefata tunica mittit nonnullas laminas in testes, quae hos dividunt in plures lobulos, et dein singulae laminae coniunguntur cum reliqua albuginea externa. Singuli lobuli inter se communicant in corpore Hygmori, et constant magno numero canaliculorum seu tubulorum tenuissimorum, qui pluries super se ipsos revolvuntur ...; dicuntur *tubi seminiferi*. In his canaliculis ... per divisionem cellularum eorum parietum, originem ducunt corpuscula, quibus nomen *nemaspermata* (spermatogenesis), necessaria ad generationem; quae nemaspermata sunt hac ratione verae cellulae. Canaliculi deinde paullatim inter se confluunt, minuuntur numero maioresque lumine fiunt, donec in corpore Hygmori quamdam retim efficiunt (*rete vasculosum testis*), et postea, cum e testiculis exeunt, efficiunt decem usque ad quindecim canaliculos (*canales* seu *conos efferentes*), qui iterum coniunguntur et epididymum constituunt ».

Quibus praemissis, iam subtilius describendum est, quid sit semen virile. Ultimis saeculis auctores unanimiter docuerunt « semen verum » esse « semen in testiculis elaboratum »; demum postremis duobus decenniis quidam auctores « semen verum » intellexerunt simpliciter illud liquidum, quod eiaculatur in copula secundum speciem externam naturaliter peracta, a quacumque glandula eia-

culatum proveniat; atque negaverunt ad essentiam copulae perfectae requiri ut saltem aliqua pars liquidi eiaculati elaboretur « in testiculis ». Hanc vero novam doctrinam S. Rota tamquam probabilem considerare non potuit ideoque eam in suis sententiis non applicavit.

« *Sperma*, seu semen virile, est *substantia liquida*, coloro albido, aliquantulum densa et odore alliaceo particulari. Constat 800‰ aqua et parte speciali organica, cui nomen *spermina*, cui debetur odor eius particularis. Quum vero semen recens observatur per miscroscopium, resolvitur in plurima corpuscula se moventia in liquido, ut parva animalia, quae sunt *spermatozoa* seu *nemaspermata* ... Singula nemaspermata constant parte maiore, cui nomen *caput*, et filamento quodam subtili, longo, quod producit motum et dicitur *cauda* ... Motus nemaspermatum est relative sat rapidus et perdurat per multas horas in canaliculis testium post mortem ... (Testut, *Trattato di anatomia umana*, v. III, parte 3, Torino 1896, p. 125). In liquido spermatico etiam nonnulla alia corpuscula sunt, ex. gr. *cellulae spermaticae*, quae proveniunt ex tabulis seminiferis, et *cellulae epitheliares*, quae, cum semen differentes canales permeat ut emittatur, a mucosa horum canalium auferuntur. Nemaspermata sunt elementa *essentialia* ad fecundationem; quapropter, si in liquido seminali absunt vel sunt immobilia, fecundatio nullo modo fieri potest » (Antonelli, l. c. p. 133).

4. Actricis autem patroni affirmant, quod in testiculis non elaborentur nisi nemaspermata, et quod tota pars liquida seminis accedat ex aliis organis, quando nempe nemaspermata a testiculis per diversos canales deferentes progrediuntur et a diversis glandulis aliquod liquidum accipiunt.

Patroni, ut suam thesim probent, citant auctorem Luciani (*La fisiologia dell'uomo*, ed. 6, vol. III), scribentem: « Lo sperma formato dai tubuli seminiferi contorti si raccoglie nei tubuli retti, che attraversano gli spazi

spugnosi del corpo di Higmoro, nella rete *testis*, nei tubi efferenti, nei canali dei lobuli dell'epididimo e lungo il condotto deferente. I condottini efferenti ed i tubuli dei coni vascolosi hanno la parete costituita da una membrana propria e dall'epitelio provvisto di ciglia vibratili che si muovono nella direzione del canale dell'epididimo, favorendo così la progressione degli spermatozoi ancora incapaci di movimenti attivi » (p. 30). Idem auctor ulterius sic explicat defectum mobilitatis in nemaspermatibus, quae ex didymo pervenerunt ad ostium epididymi: « Gli spermatozoi contenuti nei tubuli seminali del testicolo sono immobili, mentre quelli dello sperma si muovono vivacemente. La loro mobilità quindi è condizionata dagli *umori secreti dalle vie* con cui si mescolano nell'atto dell'eiaculazione » (p. 132). « Quapropter — deducunt Patroni — iuxta cl. auctorem, primum seu quam maxime internum elementum liquidum spermatis illud est quod efformatur in epididymo ». Et notantes, quod non modo epididymus, sed etiam coni efferentes sint extra testiculum, iidem Patroni concludunt: « Quapropter etiamsi illud tenuissimum liquidum in epididymo elaboratum per coitum extra flueret et in vaginam immitteretur, tamen non esset verum semen, quippe quod nec a testiculis elaboratum esset, nec a testiculis proveniens, sed ab epididymo ».

Huic opinioni adhaeret etiam prof. Costantini, peritus a Nobis constitutus, qui -- nullo tamen auctore citato — in suo voto haec scribit: « E' un fatto indiscusso in fisiologia, e confermato dalla patologia, che lo sperma risulta da una parte fondamentale cellulare, rappresentata dagli spermatozoi (o zoospermi, o nemaspermi, o spermidi), che costituiscono i soli elementi capaci di fecondare gli ovuli, e da una parte accessoria liquida, destinata a diluire il secreto testicolare, rappresentato dai nemaspermi, e a facilitarne l'eiaculazione, nonchè ad attivare i movimenti degli spermatozoi. Gli spermatozoi

vengono formati esclusivamente nei tubuli seminiferi, contenuti nel testicolo propriamente detto o didimo, mentre la *parte liquida* viene formata in organi glandolari che si trovano *nelle vie di deflusso* dello sperma (epididimo, condotto eiaculatore) o che, esterni a tali vie, nelle medesime versano però il loro secreto (vescichette seminali, prostata, glandole del Cowper) ».

5. Sententia tamen auctoris Luciani et professoris Costantini, scl. testiculos non producere ullum liquidum sed tantum nemaspermata, nullatenus tam certa est sicuti patroni putant. Ut id ostendatur, sufficit citare ex nonnullis auctoribus locos qui sequuntur.

Apud Rauber-Kopsch, *Lehrbuch der Anatomie*, Abt. IV, legitur: « Le parti del corpo cellulare degli spermatidi, che non vengono adoperate, restano ancora un certo tempo attaccate alla coda degli spermatozoi e periscono lentamente. Forse si scompongono e forniscono *una parte del liquido che si trova fra gli spermi* » (p. 321). « All'infuori degli spermatozoi, i testicoli non forniscono che *una piccola quantità del liquido che è necessario alla progressione di essi*. Questo secreto testicolare primordiale è anche alcalino ossia neutrale, ma senza odore e inclinato a disseccarsi » (n. 330). « *Il secreto testicolare si raccoglie nelle parti assiali dei tubuli seminiferi*, nella rete testis, nei canali dell'epididimo, e nel pur lungo ductus deferens » p. 331).

Rohleder, *Monographien über die Zeugung beim Menschen*, vol. I, ad rem haec habet: « Il secreto testicolare *è un liquido che per lo più e reattivo neutro, talvolta un po' alcalino* ... Contrariamente allo sperma eiaculato, è totalmente senza odore, ed è composto principalmente di spermatozoi, ai quali in piccola quantità sono frammescolate cellule testicolari e cristalli spermatici che sono specifici per il secreto della prostata. Quando si osserva il secreto testicolare, tolto da un animale macellato di fresco, allora questo secreto presenta sperma-

tozoi totalmente rigidi in quantità enorme; lo stesso accade col secreto dell'epididimo ... *Il più importante* del secreto testicolare sono gli spermatozoi » (p. 52 s.).

Landois-Rosemann, *Lehrbuch der Physiologie*, ed. 21, 1935, tradit: « Secondo *Broesike*, nell'eiaculazione del seme vien versata prima la secrezione della prostata, poi *il liquido secreto dal didimo e contenente spermatozoi*, in ultimo la secrezione delle vescichette seminali, senza che avvenga una promiscuità di quetsi liquidi » (p. 786). « *Il secreto testicolare* ha un pH (= concentrazione di elementi idrogeni) di 6,7; il secreto dell'epididimo ha un pH di 6,1 » (p. 786). Nota: La « concentrazione di elementi idrogeni » è il quantitativo degli elementi idrogeni — espresso in grammi — contenuto in un litro di liquido.

6. Ex adductis igitur textibus apparet non posse proclamari uti scientifice certum, quod testiculi non elaborent ullum liquidum. Si reapse ita esset, testiculi non aliud producerent nisi exiguissima illa corpuscula, singula singillatim sumpta, oculorum aciem fugientia et tantum ope microscopii sub aspectum cadentia, quae nemaspermata vocantur, atque haec sola corpuscula microscopica constituerent verum semen, quo secundum iurisprudentiam hucusque in S. Rota constanter et sine haesitatione servatam praeditus sit oportet vir ut potens sit ad contrahendum matrimonium. Si hoc esset verum, primo aspectu nobis videri posset, *distinctionem inter impotentiam coeundi et impotentiam generandi*, a claris textibus iuris statutam et a doctrina atque iurisprudentia uti fundamentum hac in re consideratam, *saltem magna ex parte expungendam esse*. Secundum nempe sententiam hucusque communiter servatam, ad asserendum in viro potentiam coeundi utique non sufficit, ut in copula eiaculari possit qualiscumque humor ex glandulis proveniens, sed requiritur ut eiaculari possit semen in testiculis elaboratum et per diversos canales ad extra progressum. Sin

autem testiculi non elaborarent nisi nemaspermata, defectus nemaspermatum idem esset ac existentia impotentiae in sensu canonico, quae, si sit antecedens et perpetua, dirimat matrimonium; at hoc est principium quod cum iure et communi doctrina et constanti iurisprudentia pugnat.

Equidem defectus nemaspermatum in liquido eiaculato aliquando admissus est uti adminiculum, quod canaliculi epididymi vel canales deferentes erant obstructi seu impervii, quamobrem vir, hac infirmitate laborans, tamquam impotens ad copulam perfectam perficiendam proclamatus est; sed defectus nemaspermatum per se non sufficit ut vir declaretur impotens, non solum ad generandum sed etiam ad coeundum. Id eo magis tenendum est, quia in formula « semen *in testiculis* elaboratum » vox testiculi non restringitur ad didymos, sed extenditur ad epididymos; nam licet didymus et epididymus realiter sunt duae res distinctae, tamen inter se cohaerent et in eodem scroto quisque didymus cum suo epididymo adhaerente exsistunt atque unum quid moraliter constituunt. Quod admittit etiam prof. Costantini, peritus a Nobis constitutus, qui in sua excussione iudiciali declaravit: « Parlando del testicolo in generale, comunemente si intende didimo ed epididimo insieme; però - addit — nel senso medico specifico per testicolo deve intendersi soltanto il didimo »: Nos autem in doctrina iuris canonici non adhibemus sensum medicum specificum, sed sensum communem. Etsi igitur — dato, non concesso — in didymo efformarentur tantummodo nemaspermata, et in epididymo accederet prima pars liquidi: tamen hoc liquidum semper considerari deberet ut « semen in testiculis elaboratum ».

Quare nec quidquam probat in contrarium aliud argumentum, quod Patroni ad suam thesim demonstrandam adducere potuissent. Quamvis enim scientifice certum non sit didymos tantum nemaspermata, nullum autem li-

quidum producere, tamen ex adverso argumentatio ita fieri posset: Cum didymi tunc tantum aliquod liquidum producant, si simul nemaspermata elaborent, sequitur necessario deesse quodcumque liquidum ex didymis proveniens, si in eiaculato desunt nemaspermta. At fundamentum talis assertionis non apparet sufficienter certum. Siquidem apud Rauber-Kopsch, supra citatum, solummodo legitur: « Le parti del corpo cellulare degli spermatidi, che vengono adoperate ... *forse si scompongono e forniscono una parte del liquido che si trova fra gli spermi* »; verum hoc « forse » non sufficit ad adstruendam sententiam certam. Ceterum tota argumentatio laborat ex alio quoque defectu; nam non distinguitur inter merum *factum actualis absentiae* nemaspermatum in semine eiaculato ab *habituali impotentia* procreandi vel emittendi nemaspermata in *subiecto* eiaculante.

7. Neque dicatur rationem, cur relatio inter impotentiam in sensu canonico et impotentiam generandi seu sterilitatem revidenda et corrigenda sit, esse certam ex hodierna biologia haustam scientiam, iuxta quam coitus naturalis nunquam aptus est ad novam vitam procreandam, nisi adsint spermia eaque viva, ideoque omnem virum, qui caret spermiis, dici debere non sterilem, sed impotentem ad contrahendum matrimonium. Utcumque enim certa sit illa scientia, nullum ex ea deduci potest argumentum contra doctrinam iuris canonici prout elucet ex brevi obviaque deliberatione quae sequitur.

Abstrahendo ab *opere ipsius Dei*, qui solus creat et infundit animam spiritualem, ad producendam novam vitam requiritur tum *opus hominis* seu perfectus coitus naturalis, tum *opus naturae* seu complexus causarum et actuum, quae, respectu novae vitae producendae, in homine a natura habentur et peraguntur; opus naturae partim antecedit, partim concomitatur, partim subsequitur opus hominis. Potentia coeundi exigit, ut homo ad coitum afferre valeat id, quod *natura ei ad coitum* afferendum im-

posuit. Imposuit autem natura utrique sexui afferendum id, quod ad originem novae vitae requiritur, in quantum haec origo praecise pendet *ab activitate coeundi*. Hoc principium fundamentale *eodem omnino modo* valet pro viro ac pro muliere; sed natura in activitate coeundi *non idem* imposuit praestandum viro atque mulieri. Ut enim « coitus » omnia exhibeat, quae ex parte coitus ad novam vitam requiruntur, *ovaria* mulieris nullo modo concurrere debent; at concurrere debent *testiculi* viri. Si testiculi concurrere omnino non valent, impossibile est virum ad activitatem coeundi conferre, quae natura ei praestanda imposuit, ut « coitus » sit aptus ad novam vitam (in quantum, prout dictum est, nova vita praecise pendet ab *activitate coeundi*); vir enim ex dispositione naturae *ad* actum coeundi et *in* actu coeundi afferre debet semen per se aptum ad vitam producendam. Haec autem viri potentia non respicit *actum*, sed ipsum *subiectum* quod ponit hunc actum, et quidem non actualem, sed *habitualem dispositionem* huius subiecti, eamque talem quae *regulariter ordinariis mediis* vitae humanae detegi et dignosci potest, licet in extraordinariis circumstantiis specialis scientia et peritia requirantur. Cum enim matrimonium sit institutio naturae omnibus hominibus omnium regionum et temporum destinata, ea quae ad matrimonium requiruntur, regulariter ab hominibus mediis ordinariis cognosci posse debent: eodem fere modo ac ordinarii cibi, qui ad vitam alendam et sustentandam necessaria sunt, regulariter ordinariis vitae humanae mediis (non tantum inquisitionibus chimicis et microscopicis) dignoscibiles esse debent.

Omissis duobus prioribus elementis ad peragendam copulam perfectam requisitis, videlicet viri habilitate tum erigendi membrum tum penetrandi in vaginam femineam, de tertio elemento, idest de habilitate effundendi verum semen in vagina, haec dicenda sunt. Vir, qui testiculis (vel saltem alterutro testiculo) et canalibus commu-

nicantibus perviis praeditus est (et vir supponitur praeditus esse, donec contrarium probetur), censeri debet et est *per se* habilis ad effundendum verum semen, licet *per accidens*, ob aliquem defectum in *opere naturae*, spermia desint; aliis verbis, talis vir tamquam potens ad praestandum obiectum contractus matrimonialis considerandus est. Neque obstat, quod elementum, « per accidens » deficiens, in casu sit elementum praecipuum quoad effectum et finem, propter quem totus contractus matrimonialis initur; nam aliud est *effectus et finis* contractus, et aliud *obiectum* contractus. Iamvero contractus matrimonialis non est de *prole* obtinenda, sed de relativa *activitate* peragenda, quae, si fit a viro habente testiculos et canales communicantes integros, *per se* apta et sufficiens est ad novae vitae productionem, neque plus requiritur quam viri « aptitudo per se ». Qui autem obiciunt, in casu aspermiae seu azoospermiae (vel necrospermiae) ineptitudinem viri ad actum naturalem generativum esse *per se*, et non *per accidens*, pervertunt terminologiam seu rectum sensum verborum. Siquidem posita causa « effectus per accidens », *sequitur* utique hic effectus *per se* ex causa posita; sed non est per se seu ex natura causarum quae influunt, ut sint ita unitae; haec coniunctio potius mere ab extra et sine tendentia naturae alium finem prosequentis et sine intentione causae deliberate agentis peracta est.

Quapropter conceptus « actus per se apti ad prolis generationem » hucusque usitatus, ex novis notitiis, quas suppeditat biologia moderna, neque tollitur neque modificatur, sed idem permanet; et casus aspermiae, azoospermiae, oligospermiae, asthenospermiae, etc., adnumerandi sunt *sterilitati*, non vero *impotentiae coeundi*. Etenim illa activitas humana, quae est obiectum contractus matrimonialis, definiri debet et circumscribi non imprimis ex notitiis scientiae biologiae aut ex solo fine et effectu contractus matrimonialis, sed a communi et sano iudicio hominum de coitu naturali et de habituali dispositione sub-

iecti eum peragentis. Hoc vero commune et sanum iudicium semper ignoravit et ignorat spermia, *microscopio tantum* detecta, atque perspectum habuit et habet, coitum exigere, ut subiectum coiens habeat testiculos, ex quibus requisitum semen ad coitum afferri queat. His suppositis, apparet, quomodo « actus per se apti ad prolis generationem », de quibus in can. 1081, § 2, intelligi et describi debeant. Videlicet illi actus sunt *per se* apti ad prolis generationem, qui ponuntur a viro, testiculis (vel saltem uno testiculo) et canalibus perviis praedito, atque habili ad erectionem membri, ad penetrationem vaginae et ad effusionem seminis in vagina, licet *per accidens* semen careat elemento praecipuo idest nemaspermatibus: definitiones namque fiunt secundum ea quae *per se adsunt*, neglectis iis quae *per accidens deficiunt*.

8. Praestat insuper citare quae P. Gemelli (*Nuovo Digesto Italiano*, v. Impotenza, p. 825 ss.) ad rem dicit. Quamvis enim cl. Auctor accesserit opinioni quod testiculi praeter nemaspermata nullum liquidum producant, tamen iure merito approbat iurisprudentiam Rotalem hac in re. Scribit nempe: « Va notato che le autorità canoniche sempre che sono stati sottoposti casi di azoospermia, si sono rifiutate di ritenerli casi di impotenza. La giurisprudenza più recente è concorde nel dare la qualifica di « vero seme » all'eiaculato maschile anche se esso sia sprovvisto di spermatozoi, purchè sia stato elaborato nei testicoli ... Si capisce perchè la giurisprudenza ha seguito tale via ... Soprattutto pare opportuno far rilevare (come a me sembra evidente) che la Chiesa non ha voluto che una funzione così delicata ma così importante come la consumazione del matrimonio fosse fondata sulle nostre concezioni biologiche e in continuo progresso di sviluppo. Se poi pretendiamo oggi fondare la nostra diagnosi di impotenza sulla presenza degli spermatozoi, domani, grazie ai progressi della biologia, dovremo constatare altri elementi di fatto, ad esempio i costituenti biochimici del-

lo spermatozoo: ma per questa via noi ci saremo messi nella impossibilità di giudicare un'azione umana che come tale deve essere giudicata con criteri umani. Perciò la giurisprudenza canonica ha fondato la nozione di vero seme sulla nozione comune volgare che è quella che basta per costituire quel criterio che il Gasparri ha chiamato un'azione umana ossia il coito in quanto atto che consuma il matrimonio ». Et deinde de ipso semine inter alia adhuc animadvertit: « Il vero seme è il prodotto di un complesso di organi, fra i quali quello essenziale è la glandola testicolare; ma tale essenzialità è ai fini della fecondazione. Quando dobbiamo determinare se questo organo complesso elabora lo sperma, noi dovendo giudicare se esiste la possibilità di compiere una azione umana qual'è il coito di per sè atto alla fecondazione, ci possiamo contentare di dire che la presenza dei testicoli ci permette di affermare che tutto l'apparato ha partecipato alla preparazione e eiaculazione dello sperma. Infatti *se clinicamente il testicolo è integro, se le vie spermatiche sono integre,* che cosa può impedire che non vi sieno gli spermatozoi nello sperma? *La mancanza può essere anche solo temporanea.* Quindi noi abbiamo in questi casi motivi sufficienti per presumere che gli spermatozoi sono contenuti nello sperma. *Che se invece i due testicoli sono atrofici, malati, malformati, ecc., noi abbiamo sufficienti dati per sostenere che quell'individuo non produce vero seme* ».

9. Ex dictis iam patet, quando in viro verificatur impotentia ob defectum veri seminis. Hoc enim ex duplici fonte oriri potest: siquidem aut testiculi semen producere non valent, aut semen in testiculis elaboratum ad extra exire nequit. Primum accidit si testiculi vel a nativitate adeo insufficienter evoluti sunt, ut semen producere nequeant, vel si post normalem evolutionem ob morbum venereum, orchitis in tali gradu atrophia affecti sunt, ut totaliter incapaces evadant ad semen producendum; al-

terum vero, quando canaliculi epididymi vel ceteri canales deferentes ob epididymitem vel alium morbum in eo gradu obstructi sunt, ut semen in testiculis elaboratum ad extra exire non possit. *A fortiori verum semen in eiaculato liquido deest, si vir utroque defectu laborat, qui per morbum orchiepididymitem saepius provocatur.* Eiusmodi impotentiam tunc tantum dirimere matrimonium, si sit certo antecedens matrimonio et insuper certo perpetua seu insanabilis, supra iam dictum est.

10. II. Quodsi in aliqua causa non omnino constat de impotentia matrimonium dirimente, aliquando a Summo Pontifice implorari potest dispensatio super matrimotio rato et non consummato, dummodo certo constet tum de facto inconsummationis tum de iusta causa dispensandi (c. 1119). Cum in causa praesenti vir vaginam uxoris penetrare potuerit et de facto saepius penetraverit, cumque asserta impotentia viri unice adscribatur defectui veri seminis in testiculis elaborati, patet factum inconsummationis matrimonii in casu demonstrandum esse ex eo, quod vir saltem a prima die vitae coniugalis usque ad definitivam separationem coniugum caruerit hoc semine; aliis verbis, sufficit in casu probare defectum viri antecessisse matrimonium et durasse toto tempore vitae communis, quin obstet viri sanatio post separationem coniugum aut saltem possibilitas talis sanationis. Si igitur assertus defectus habendus sit dubius sive quoad initium sive a fortiori quoad decursum consortii vitae, consilium Sanctissimo praestari nequit pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

* * *

In facto (omissis).

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus et definitive sententiamus: *Non constare de matrimonii nullitate in casu, neque consilium praestandum esse Ss.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, in casu*; seu ad bina dubia proposita respondemus *negative ad utrumque.*

. . . . . .

Romae, in Sede Trib. S. R. Rotae, die 25 aprilis 1941.

ARCTURUS WYNEN, *Ponens.*
GUILLELMUS HEARD
STANISLAUS JANASIK.

(L. S.)

Ex Cancellaria, die 16 iulii 1941.

T. TANI, *Notarius.*

* * *

Haec sententia singularem casum processualem praesentavit. Summus Pontifex causam coram S. Romana Rota noviter peragere permisit sub solo respectu dispensationis super rato et non consummato matrimonio. Delata igitur est ad turnum appellationis constitutum cum Ex.mo D. Julio Grazioli, Ponente. Concordatum est hoc unicum dubium: « An sententia rotalis diei 25 aprilis 1941 quoad alterum dubium confirmanda aut infirmanda sit in casu, seu an consilium praestandum sit Sanctissimo pro gratia dispensationis super matrimonio rato et non consummato ». Turnus autem, (Grazioli, Jullien, Quattrocolo die 30 novembris 1943 edixit: « Negative ad primam partem, affirmative ad alteram, seu sententiam rotalem diei 25 aprilis 1941 esse quoad alterum dubium infirmandam, ideoque *consilium praestandum esse Sanctissimo pro gratia dispen-*

sationis super matrimonio rato et non consummato in casu, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta Apostolica Sede ».

Quamvis sententia in contrariam decisionem quoad factum inconsummationis abierit cum praecedenti, tamen expositionem iuris confirmavit.

Novae autem sententiae accessit pontificia dispensatio, quae data est die 10 decembris 1943. « Sanctitas Sua audita infrascripti relatione petitam dispensationem super matrimonio rato et non consummato, cum adiecta clausula — vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta Apostolica Sede — benigne largire dignata est. Julius Grazioli, Decanus ».

III.

Sententiae S. R. Rotae

DE IMPOTENTIA VIRI OB INCAPACITATEM EMITTENDI SEMEN TESTICULARE.

DIES	PONENS	SENTENTIA	DATA DISP. SUPER RATO NON-CONSUMMATO	DECISIONES S. R. ROTAE
1914 6 iulii	coram Prior	constare de nullitate		VI D 21 p. 242
1917 17 aug.	» Sebastianelli	constare de nullitate		IX D 23 p. 217
1918 4 iulii	» Sebastianelli	constare de nullitate		X D 9 p. 71
1920 29 iulii	» Rosetti	constare de nullitate		XII D 23 p. 215
1921 6 dec.	» Chimenti	constare de nullitate		XIII D 30 p. 278
1922 10 aug.	» Solieri	non constare de nullitate		XIV D 30 p. 272
1923 14 iunii	» Massimi	constare de nullitate		XV D 12 p. 103
1924 28 mar.	» Chimenti	constare de nullitate		XVI D 15 p. 113
1925 10 mar.	» Mannucci	constare de nullitate		XVII D 17 p. 124
1926 1 mar.	» Massimi	constare de nullitate		XVIII D 8 p. 58
1927 4 aug.	» Massimi	constare de nullitate		XIX D 42 p. 363
1929 27 oct.	» Quattrocolo	constare de nullitate		XXI D 57 p. 477
1930 16 iunii	» Mannucci	constare de nullitate		XXII D 29 p. 339
1931 18 apr.	» Morano	non const. de null.; sed SSmo cons. de disp.	Pius XI disp. d. 22 maii 1931	XXIII D 17 p. 131
1931 4 aug.	» Quattrocolo	non constare de nullitate		XXIII D 41 p. 353
1932 17 maii	» Mannucci	constare de nullitate		XXIV D 20 p. 190

1933 29 iulii	»	Massimi	non constare de nullitate		XXIV D 53 p. 493
1935 28 ian.	»	Mannucci	constare de nullitate		XXV D 59 p. 500
1935 23 iulii	»	Quattrocolo	non constare de nullitate		XXVII D 5 p. 41
1936 23 iunii	»	Quattrocolo	non const. de null.; sed SSmo cons. de disp.	Pius XI disp. d. 23 oct. 1936	XXVII D 52 p. 439
1937 30 apr.	»	Grazioli	constare de nullitate; (cf. Dec. 28. ian. 1935)		XXVIII D 43
1937 4 dec.	»	Quattrocolo	constare de nullitate		D 31
1937 22 dec.	»	Teodori	non constare de nullitate		D 73
1939 4 febr.	»	Canestri	non constare de nullitate		D 80
1939 20 mar.	»	Grazioli	constare de nullitate; (cf. Dec. 4. dec. 1937)		D 10
1940 10 febr.	»	Wynen	non const. de null.; sed SSmo cons. de disp.	Pius XII disp. d. 26 apr. 1940	D 20
1940 2 aug.	»	Teodori	non const. de null.; sed SSmo cons. de disp.	Pius XII disp. d. 13 dec. 1940	D 13
1941 25 apr.	»	Wynen	non constare de null.; neque SSmo consul. d. d.		D 59
1941 10 iunii	»	Wynen	non constare de null.; neque SSmo consul. d. d.		D 28
1941 16 iulii	»	Quattrocolo	consulendum SSmo de disp.	Pius XII disp. d. 12 dec. 1941	D 46
1942 21 iulii	»	Roberti	constare de nullitate		D 60
1943 1 maii	»	Wynen	constare de nullitate		D 62
1943 30 iunii	»	Pecorari	non constare de nullitate		D 35
1943 28 iulii	»	Wynen	constare de nullitate		D 51
1943 28 oct.	»	Wiynen	constare de nullitate		D 63
1943 30 nov.	»	Grazioli	non const. de null.; sed SSmo cons. de disp. [cf. Dec. 25. apr. 1941].	Pius XII disp. d. 10 dec. 1943	D 74 D 82

MONUMENTA

12 - Suprema S. Congregatio S. Officii

(*AAS* XXXVI [20 apr. 1944] p. 103)

* * *

DECRETUM

DE FINIBUS MATRIMONII

De matrimonii finibus eorumque relatione et ordine his postremis annis nonnulla typis edita prodierunt, quae vel asserunt finem primarium matrimonii non esse prolis generationem, vel fines secundarios non esse fini primario subordinatos, sed ab eo independentes.

Hisce in elucubrationibus primarius coniugii finis alius ab aliis designatur, ut ex. gr.: coniugum per omnimodam vitae actionisque communionem complementum ac personalis perfectio; coniugum mutuus amor atque unio fovenda ac perficienda per psychicam et somaticam propriae personae traditionem; et huiusmodi alia plura.

In iisdem scriptis interdum, verbis in documentis Ecclesiae occurrentibus (uti sunt v. gr. *finis, primarius, secundarius*) sensus tribuitur qui cum his vocibus, secundum communem theologorum usum, non congruit.

Novatus hic cogitandi et loquendi modus natus est ad errores et incertitudines fovendas; quibus avertendis prospicientes E.mi ac Rev.mi Patres huius Supremae Sacrae Congregationis, rebus fidei et morum tutandis praepositi, in consessu plenario feriae IV, die 29 Martii 1944 habito, proposito sibi dubio: « An admitti possit quorundam recentiorum sententia, qui vel negant finem prima-

rium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes »; respondendum decreverunt: *Negative.*

Et in audientia, feria V, die 30 eiusdem mensis et anni, Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Santi Officii impertita, Ss.mus D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XII, de omnibus habita relatione, praesens decretum adprobare dignatus est, ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae ex Aedibus Sancti Officii, die 1 Aprilis 1944.

I. Pepe
Supr. S. Cong. S. Officii Notarius.

Annotationes

1. Decretum est de « *finibus operis* » idest de finibus, qui ipsi institutioni matrimonii a Deo inditi sunt, non de « *finibus operantis* » seu de finibus, quos qui matrimonium ineunt obtinere intendunt quique a « finibus operis » differre possunt.

Finis hoc loco intellegitur bonum in quod obtinendum aliquid tendit vel ordinatum est.

Decretum duabus partibus constat: narrativa, quae tria prima alinea amplectitur, et dispositiva.

2. In parte narrativa primo refertur: postremis his annis nonnullos in suis elucubrationibus sese opposuisse communi de finibus matrimonii et de ordine inter eos vigente doctrinae. Canone 1013 § 1 statuitur enim: « Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae ». Hinc eos, qui negent, matrimonii finem primarium esse procreationem et educationem prolis, directe contradicere doctrinae, in allegato canone enuntiatae, immediate patet; idem non patet relate ad eos, qui negent fi-

nium secundariorum subordinationem et dependentiam. Nam termini « primarius » et « secundarius » vi vocis immediate dicunt solummodo quendam ordinem et successionem; haec vero inter plures haberi possunt sine unius ab altero dependentia et sub eo subordinatione. Ita inter heredem praevium et pedissequum habetur quidem ordo et successio, sed nulla habetur dependentia et subordinatio; uterque enim capit hereditatem « testatoris » (idest non heredis praevii), et quidem vi proprii iuris. *Dependentia* ad meram successionem addit unius ad alium devinctionem, vi cuius alio, sub quo respectu est ab illo dependens, indigeat. Dependentia finis secundarii a fine primario significat igitur: eum fini primario ita esse (saltem sub certo respectu) devinctum, ut sine fine primario non sit constitutus talis, qualem natura eum constitutum esse vult.

3. *Subordinatio* excedit simplicem dependentiam; nam dependentia potest esse etiam inter coordinatos; ita inter iudices alicuius « collegii » qui non nisi « collegialiter » possunt sententiam ferre, habetur quidem dependentia, sed nulla subordinatio unius iudicis sub alio. Subordinatio includit igitur « dependentiam », sed eam ulterius determinat. « Subordinatum » dicitur, quod alteri, a quo dependet, ita devincitur, ut, sub quo respectu alteri subordinatur sub eo eius utilitati inservire et in casu conflictus cedere debeat.

4. In « subordinatione » plura elementa continentur. Subordinatio primo exigit et supponit in subordinatis — si aliter subordinatio est rationabilis — *aptitudinem* ad inserviendum utilitati superordinati sub eo respectu sub quo est subordinatum. Secundo ad hanc praestandi servitium aptitudinem accedere debet aliqua ad respectivum servitium actu praestandum *destinatio*, sive per inclinationem naturae inditam sive per voluntatem competentis Superioris sive per liberam agentium conventionem. De multis enim dici debet, quod sint apta ad hoc vel illud servitium praestandum, neque tamen de iis dici potest,

quod ad tale servitium sint etiam « destinata ». Neque quaelibet « aptitudo » et « destinatio » sufficiunt ad subordinationem presse dictam constituendam; requiritur adhuc quaedam necessitatio, fluens ex subordinati sub superordinato submissione, adigens subordinatum, ut suae aptitudini et destinationi inserviendi satisfaciat. Haec necessitatio et submissio secundum partem negativam dicit: subordinatum numquam posse utilitati et bono superordinati contraire; secundum partem positivam: subordinatum debere, quantum ex se, bonum superordinati suo influxu iuvare et promovere.

Quae si applicantur ad dictos fines secundarios matrimonii, apparet, quid significet quorundam recentiorum doctrina asserens: matrimonii fines secundarios fini primario non esse « subordinatos », sed ab eo « independentes ».

5. Secundo Decreti alinea, reticito omni nomine, quaedam recentiorum sententiae exempli causa breviter allegantur. Perbene de recentiorum sententiis tractat *Antonius Lanza,* Prof. Theol. mor. in Pont. Athenaeo Lateranensi, nunc Exc. Archiepiscopus Rheginensis (Reggio-Calabria) in suo libro « *De fine primario matrimonii* » (Romae, 1941, Apollinaris) inde a pag. 1-27 et 75-99. Sub certo respectu inter recentes publicationes eminet liber Prof. Herberti Doms, « Sinn und Zweck der Ehe » (Breslau, 1935) et adhuc magis eius versio gallica, ab ipso auctore recognita et aucta « Du sens et de la fin du mariage » (Paris 1937). Secundum Doms matrimonii proximus et immanens *sensus* est singularis quaedam atque intima unio duarum personarum sexus diversi. Haec unio repraesentatur et actuatur in ordine reali per physicam corporum fusionem, idest per actum coniugalem; naturaliter dirigitur, dum perficitur, in duos remotiores *fines,* alterum *personalem,* alterum *biologicum,* id est in personarum complementum et in prolis generationem. Doms reicit hierarchicam illam finium ordinationem, qua omnia tandem ad prolis genera-

tionem et educationem referuntur, tamquam ad finem primarium.

Alius liber, qui ob apparatum scientificum quem adhibet et propter argumentationem (quam fere ex toto ex St. Thoma depromit) speciali mentione est dignus, conscriptus est a Bernardino Krempel: « Die Zweckfrage der Ehe in neuer Beleuchtung, Einsiedeln, Zürich 1941 (Benzinger). Liber finem matrimonii ponit in totali sexus utriusque (scl. masculini et feminini) unione vitae. Naturae humanae completae idea est *una*, est a creatore quodammodo discomposita in duos *sexus*, quorum uterque et suas typicas qualitates habet et relationem dicit ad alterum sexum in ordine ad completionem naturae perfectae obtinendam. In *matrimonio* haec completio naturae *per utriusque sexus unionem realizatur* et repraesentatur eo quod typicae utriusque sexus perfectiones et activitates in omnimoda vitae unione se invicem compleant et perficiant. Proles solummodo eatenus est « finis primarius » matrimonii, quatenus est matrimonii primarius *effectus et fructus*.

6. In partis narrativae alinea tertio monetur: in nominatis recentibus elucubrationibus interdum verbis, quae in documentis Ecclesiae occurrunt, sensum tribui, qui sit diversus ab eo, quem voces secundum communem theologorum usum habeant; exempla afferuntur termini « finis », « primarii », « secundarii ». Ita e. g. Krempel explicite monet: terminum « finis » in can. 1013 § 1 non esse intellegendum sensu technico philosophico, scl. bonum, in quod obtinendum aliquid ordinetur, sed sensu simplicis « effectus » et « fructus » producti, qui non habeat rationem finis presse sumpti. Item Doms non admittit prolis generationem esse « finem » primarium matrimonii, si finis sumitur sensu causae finalis presse sumptae.

7. In Decreti parte *decisiva vel dispositiva* primo significatur: novatum cogitandi et loquendi modum natum esse ad errores et incertitudines fovendas. His sequelis funestis avertendis volens prospicere S. Officium accurate

circumscriptum dubium proponit, cuius materia desumpta est ex variis recentiorum theorematis, et errorem de finibus matrimonii fundamentalem indubiis verbis effert. Tenor Dubii est hic: « An admitti possit quorundam recentiorum sententia, qui vel negant finem primarium matrimonii esse prolis generationem et educationem, vel docent fines secundarios fini primario non esse essentialiter subordinatos, sed esse aeque principales et independentes? »

Ad hoc Dubium E.mi Patres decreverunt respondendum: *Negative.*

Qua decisione minime reprobantur *omnia,* quae ab auctoribus recentibus in eorum elucubrationibus de finibus matrimonii dicta sunt; haud pauca inibi continentur, quae attentionem merentur, quaeque ad complendam communem de matrimonii sensu et fine doctrinam inservire possunt(cf. articulum conscriptum a R. P. Lavaud O. P. Revue Thomiste, 44 (1938) 750 sqq). Reiciuntur horum auctorum dissertationes eatenus tantum, quatenus doctrinam in dubio propositam defendunt.

8. Quae in Decreto dicuntur de fine primario matrimonii non indigent ulteriore explicatione. De finibus secundariis tres sententiae tamquam non admittendae reiiciuntur, sc. quae asserunt 1) eos esse aeque principales atque finem primarium, 2) eos esse independentes a fine primario, 3) eos non esse fini primario essentialiter subordinatos.

Reicitur ergo primo *aequiparatio* finis secundarii et primarii. Mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae non sunt secundum Decretum ponenda in una linea cum prolis generatione atque educatione. Quo patet: matrimonium non habere duos fines, quorum uterque eodem modo, gradu eademque necessitate sit matrimonii « *finis operis* ». Hinc, quod de necessitate finis primarii ad matrimonium fundandum dicitur, eodem modo et gradu eademque cum necessitate dici non potest de fine secundario. Si in Decreto reicitur sententia, quae dictos fines dicit « aeque principales », multo magis reicitur sententia quae

hos « fines secundarios » dicit « magis principales » quam prolis generationem et educationem; prout quidam ex auctoribus recentibus fecerunt (« mutuum adiutorium » latissime interpretantes).

9. *Dependentia* finium secundariorum a fine primario intelligitur ex eo, quod fines secundarii matrimonii in nullo matrimonio poni vel persistere possunt, nisi in eo, natura et ratione prius, positus et stabilitus fuerit finis primarius. Intrinseca enim uniuscuiusque matrimonii ordinatio in finem primarium habetur ex (dato et accepto) iure radicali mutuo in corpus compartis, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. Sine hoc iure radicali ipsum matrimonium neque oriri neque perdurare potest, ideoque neque ipsius matrimonii ordinatio ad fines secundarios. Corruente igitur ordinatione matrimonii in finem primarium (iure radicali in corpus compartis exstincto per legitimam solutionem vinculi), corruit cum matrimonio omnis etiam eius ordinatio in fines secundarios.

10. Tandem stabilitur « essentialis subordinatio » finium subordinatorum sub fine primario. Quid conceptus subordinationis ratione sui dicat, supra iam expositum est, sed eis contenti esse non possumus; nam in efformatione dubii definitivi additum est verbum « essentialis ». Subordinatio dici debet « essentialis », si in rei subordinatae essentia fundatur ex eaque fluit. Subordinatio essentialis sub fine matrimonii significat igitur: « *mutuum adiutorium* » et « *remedium concupiscentiae* » ex intentione Auctoris naturae necnon Institutoris matrimonii, item ex interna horum finium natura habere ad servitium finis primarii: 1) naturalem aptitudinem, 2) naturalem destinationem, 3) naturalem necessitationem ac submissionem. Quae tria facile patent de *remedio concupiscentiae*. Sedatur enim concupiscentia per naturalem *usum facultatis generativae;* quemlibet autem naturalem huius facultatis usum esse (negative et positive) fini primario essentialiter subordinatum, eidemque per se inservire, ex rei natura suffi-

cienter intellegitur. *Mutuum adiutorium* (quod hic intellegi debet, in quantum est aliquod *matrimonii proprium* neque aeque bene extra matrimonium haberi potest) complectitur omnes vitae coniugalis et familialis necessitates, et maxime aptum et destinatum est quod inserviat coniugibus, in quantum coniuges *naturali destinatione* fieri tendunt « auctores novae vitae » generandae et educandae, seu in quantum destinantur fini primario matrimonii. Unitis enim viribus onera vitae educationisque facilius a coniugibus feruntur, et hac allevatione coniuges disponuntur, ut facilius, libentius, securius iuxta providentiam christianae prudentiae (non secundum lubitum (libidinis) suo iure utantur. Idque eo magis valet, quod quilibet coniux ex contractu matrimonii et ex iure primario per eum quaesito habeat ius ad hoc adiutorium exigendum, et alteri parti sit *obligatio*, ut petenti praestet. Mutuum adiutorium hanc « *essentialem subordinationem* » habet autem tantummodo in quantum est « finis matrimonii »; in multis rebus materialiter idem adiutorium praestari potest etiam extra matrimonium, idque sive ex libero in singulis casibus servitio, sive ex inita quadam conventione non-matrimoniali. Quibus in casibus evidenter nulla habetur talis adiutorii sub fine primario matrimonii « subordinatio », neque essentialis, neque non-essentialis.

Cum haec subordinatio finis secundarii dicatur « essentialis », sequitur, finem secundarium in nullo matrimonio haberi posse, quin ipso facto et ex natura sua sit primario subordinatus; nam quod ex essentia rei est, semper cum re est, de cuius essentia fluit. At hic notare occurrit: transcendentalem seu essentialem relationem finalitatis aliquoties totam et ex integro exsistere, licet subiectum quod vi huius relationis in finem certum ordinatur, hunc finem non attingit, immo per accidens nec potest quidem eum attingere. Haec essentialis a natura data subordinatio tollitur aut substantialiter corrumpitur solummodo eo, quod in subiecto subordinato aliquod ex illis

elementis essentialibus tollitur vel substantialiter corrumpitur, quibus subiectum ad respectivum finem a natura redditum fuit: *aptum, destinatum, devinctum atque submissum.* Quod principium valet de essentiali subordinatione tum *finis secundarii* sub primario, tum omnis activitatis et *usus facultatis generativae* sub eodem fine primario, tum *ipsius matrimonii* (sive *in fieri* sive *in facto esse*) quoad *obiectum contractus* matrimonialis, quod essentialiter dependet et mensuram accipit a matrimonii fine primario. Ut exemplo utar: oculus habet actu essentialem subordinationem sub fine facultatis visivae, si actu habet omnia, quae ex parte oculi ad obtinendum finem facultatis visivae, i. e. ad actum videndi, requiruntur. Quae ex alio capite ad actum videndi necessaria sunt, essentialem subordinationem oculi sub fine facultatis visivae non tangunt; etsi ob eorum defectum actus videndi poni nequeunt sive ad interim sive pro semper. Ubi primum autem in ipso oculo aliquod elementum ad activitatem videndi necessarium tollitur aut substantialiter corrumpitur, tollitur vel substantialiter corrumpitur oculi sub fine primario facultatis visivae subordinatio essentialis. Inter alia ad haec elementa in ipso oculo requisita, spectat etiam, quod oculus nervis iunctus et ornatus sit, qui ad cerebrum et centrum videndi conducunt. Sine tali unione oculus non est organum per se aptum ad videndum; nam ex natura sua, ut hoc sit, debet esse communicans et habere communicationem cum centro visionis. Haec observatio minus usui est in diudicanda essentiali subordinatione finium secundariorum matrimonii sub fine primario, quam in diudicanda tali subordinatione *actus coniugalis* sub matrimonii fine operis primario.

11. Paucis verbis in fine redire oportet ad « essentialem subordinationem » remedii concupiscentiae sub fine primario. Dictum est supra: hanc subordinationem facile intellegi ex eo, quod omnis sedatio concupiscentiae fiat per *usum facultatis generativae* sive perfectum sive im-

perfectum. At sunt, quibus quoad hanc « substantialem subordinationem » duplex exstat difficultas, utraque, ut aiunt, insuperabilis.

Primo urgent: absonum esse, asserere et urgere essentialem subordinationem sub fine primario, si hic (servata utique potentia coeundi) in concreto quodam matrimonio obtineri non potest ob causam sive naturalem sive voluntariam. Quomodo « remedium concupiscentiae » seu magis accurate, quomodo usus facultatis generativae in tali matrimonio fini operis primario inservire potest, si hic finis neque est neque esse potest? Huius difficultatis solutio habetur in eis quae supra de realizatione finalitatis transcendentalis seu essentialis dicta sunt; ex quibus apparet: ad realizandam relationem essentialem non semper requiri ut « terminus » seu « finis » in quem quid ordinetur, actu adsit seu saltem adesse possit.

Secundo urgent: remedium concupiscentiae magnam habere a fine primario « independentiam » et « in se sufficientiam »; concupiscentiam enim esse per se independentem a *statu* matrimoniali et caelibe. Hinc etsi in statu caelibe, ob prolem forte eventuram, usus facultatis generativae in remedium concupiscentiae debeat esse prohibitus, nullam tamen esse posse rationem, cur *in* matrimonio naturalis usus « remedii concupiscentiae » suum motivum suamque mensuram sumat a fine primario; nam *efficaciam* remedii concupiscentiae nullatenus pendere ab eius ad hunc finem primarium relatione. Haec difficultas maiore ex parte repetit ea, quae in prima difficultate iam exposita et soluta sunt. Praeterea non sufficienter intendit ad internam « concupiscentiae carnalis » naturam et finalitatem. Concupiscentia carnalis nihil est aliud atque naturalis et innatus instinctus sexualis. Hic autem instinctus, consentientibus omnibus scientiis (anatomia, physiologia, psychologia, ethica) nihil est nisi naturalis ordinatio cuiusvis actus sexualis in servitium *cellulae germinativae*, ut procreetur, transferatur, recipiatur, evolvatur;

sed ex eadem ratione quilibet actus sexualis habet etiam a natura insitam essentialem sub hoc fine procreandae vitae subordinationem. Ab hac subordinatione actus generativus neque extra neque intra matrimonium solvitur, immo ne potest quidem solvi. Differentia solummodo in eo est, quod *in* matrimonio hic naturalis finis *facultatis generativae* coincidat cum *ipso matrimonii fine operis primario*, et quod in matrimonio omnis usus naturalis eo ipso, quod talis est, huic primario fini inserviat.

12. Quod tandem spectat dependentiam suprae allatae sententiae Rotalis ab hic exposito Decreto S. Officii, sententia Rotae a Decreto S. O. non dependet; Decretum datum est 1. aprilis 1944; sententia iam fuit lata 22. ianuarii 1944.

13 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Epistula
ad Fac. Hist. eccles. in Pont. Univ. Gregoriana*

(*AAS* XXXVI [20 apr. 1944] p. 101)

DILECTO FILIO PETRO LETURIA SOCIETATIS IESU
E DECURIALIBUS DOCTORIBUS PRIMO HISTORIAE ECCLESIASTICAE
TRADENDAE IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

PIUS PP. XII

DILECTE FILI
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter plura observantiae pietatisque testimonia quibus Pontificia studiorum Universitas Gregoriana quintum

* Latinitas adhibita in his litteris (ut etiam in aliis documentis recentioribus Summi Pontificis Pii XII) fugit accurate vocabula minus classica, etiam aliqua quae in codice Iuris Canonici et in Constitutione studiorum recurrunt. Ita vox « Facultas » non proponitur prima vice nisi addito « ut dicitur »; vitantur vero voces « professores » et « decanus ». Ideo salutatio dirigitur ad « primum inter decuriales doctores His-

ac vicesimum Nostri episcopatus annum est prosequuta, in primis Nobis opus placuit cui titulus « Xenia Piana » a decuralibus Doctoribus reverenter Nobis dicatum, qui in eodem Athenaeo historiae ecclesiasticae pervestigandae tradendaeque sedulam dant operam.

Quanti enimvero eiusmodi disciplinas faciamus, quaenam sint in eisdem impertiendis normae sequendae, quam uberem denique rerum copiam praebeant Urbis monumenta, bibliothecae ac tabularia ad Ecclesiae memorias satius aptiusque perspiciendas inde ab eius exordiis ad haec usque tempora, Nostri Pontificatus initio, die nempe XXIV mensis Iunii, anno MDCCCCXXXIX, clare in oratione illa exposuimus quam ad alumnos e Romanis utriusque cleri Institutis habuimus. Hae videlicet disciplinae « quatenus in scholis tractantur, non tam in quaestionibus criticis et mere apologeticis haereant, quamvis hae quoque suum momentum habeant, sed potius semper id spectent, ut actuosam Ecclesiae vitam demonstrent ». Quae quidem vita — id Nobis in praesens iterum inculcare cordi est - per decurrentia saecula velut ob oculos posita, ad maturum de Ecclesiae conditione iudicium efformandum et ad sincerum erga Ecclesiam amorem fovendum magnopere confert.

Plane autem exploratum est, hanc Historiae Ecclesiasticae scientiam professoribus fore defuturam, nisi magis in dies magisque proficientes peculiaribus studiis exercitationibusque instituantur, praesertim cum Historiae Ecclesiasticae sat difficili studio pericula officiant tum indigestae eruditionis, tum usus sive indocte deficientis

---

toriae ecclesiasticae tradendae ». Doctor significat hoc loco, non adeo prolytam Laurea auctum, ut in canone 1378, sed magistrum qui *actu docet*, ut usus classicus ferebat (Cf. DAREMBERG-SAGLIO, *Dictionnaire des Antiquités grecques et romaines* II (Paris 1888) 323 ss.). Decurialis ponitur in eodem sensu classico pro apparitore seu officiali qui munus publicum in Urbis Curia obit (*ibid.* 40a). Primus ergo inter hos decuriales doctores aequivalet decano. Cfr. A. BACCI, *Varia latinitatis scripta* (Typis polyglottis Vaticanis, 1944) p. 258,

sive imprudenter exuberantis criticae, tum illius praesertim Ecclesiae rerum aestimationis, quae ex acatholicorum auctorum imitatione facile profecta, eventus humanas vires saepenumero transcendentes parvulo mentis nostrae modulo diudicare ac metiri temere conatur.

Itaque, postquam Decessor Noster f. m. Pius XI per Apostolicam Constitutionem « Deus scientiarum Dominus » Historiam Ecclesiasticam ad gradum primariae disciplinae in Facultate, ut aiunt, Theologica evexit, ac diversarum disciplinarum professores sua quemque laurea esse instruendos edixit, peropportune factum est, ut, quemadmodum aliarum efformandis magistris sacrarum disciplinarum iam pridem Instituta et Facultates in Urbe erant, quae in ipsa Constitutione recensentur, historiae quoque ecclesiasticae integra Facultas in Nostra studiorum Universitate Gregoriana constitueretur.

Cuius quidem actuosae iam per decem annos sedulitatis testimonium in optimis potissimum apparandis omnique ope instruendis praeceptoribus, undeviginti dissertationes ab eius e variis Nationibus variisque linguis alumnis sollerti cura exaratas, Nobis offerre voluistis.

Seriem praeterea « Miscellaneorum Historiae Pontificiae », ab eadem Facultate inde a primo Nostri Pontificatus anno inchoatam, cuius volumen septimum « Xenia Piana » inscribitur, merita laude honestamus, eidemque ominamur, ut maioris praeludia sint operis, quo Historiae Pontificiae monumenta, a viris doctis usque adhuc egregie composita, prosequi et perficere curis laboribusque vestris contendatis. Ac nusquam procul dubio aptius, quam in hac alma Urbe, ubi omnia ad hoc invitant, Romanorum Pontificum historia pervestigari atque adornari potest, cui quidem parandae nulla antea exstabat continuata commentariorum series.

Quo autem et vestrum et eorum, qui vobis navabunt operam, magis sit fructuosum studium, caelestis patrocinii auspicem Nostraeque caritatis testem, Apostolicam

Benedictionem cum tibi, Dilecte Fili, tuisque laborum sociis tum cunctis istius Facultatis alumnis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die X mensis Februarii anno MDCCCCXXXXIV, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XII

Annotationes

Constitutio Apostolica « Deus scientiarum Dominus » art. 3 recenset inter Facultates studiorum ecclesiasticorum, praeter Facultates theologicas iuridicas et philosophicas a longo tempore in Urbe vel extra Urbem existentes, etiam recentiora Instituta rei Biblicae, studiorum Orientalium, utriusque Iuris, Archaeologiae christianae et Musicae sacrae *Romae* a Sancta Sede usque ad annum 1931 erecta. Momentum huius novae epistolae in eo stat quod eiusmodi Facultatum et Institutorum pontificiorum catalogo cum laude adiungit *Facultatem historiae ecclesiasticae* anno 1932 in Pontificia Universitate Gregoriana a Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus fundatam, de qua nihil hucusque in Actis Apostolicae Sedis relatum erat.

Universitas Gregoriana iam dudum consilium ceperat instituendi peculiaribus historiae et artis criticae studiis illos suos diversarum nationum alumnos qui ad mentem canonis 1366 par. 3 Historiae ecclesiasticae in Facultatibus theologicis tradendae destinabantur. Experientia enim docebat, his alumnis, ut praesto Romae erant magis fortasse quam usquam alibi monumenta et archiva quae investigarent, minime patere vel in Universitate ipsa Gregoriana vel in aliis Institutis ordinem organicum studiorum quo ad docendam simul et investigandam Historiam ecclesiasticam apte praepararentur. Nam quamvis

in Urbe suppeterent egregia Instituta nationalia, et praesertim Pontificia de Archaeologia christiana, de Palaeographia et Archivistica, haec vel cursus academicos non habebant vel illos ad solam peculiarem materiam sibi reservatam circumscribebant.

Haec fuit ratio cur R.mus P. Wlodimirus Ledóchowski, Praepositus Generalis Societatis Iesu, agentibus imprimis PP. Hermanno van Laak et Carolo Silva-Tarouca, de opportunitate Facultatem integram Historiae ecclesiasticae fundandi, etiam ante editam novam Constitutionem studiorum, cogitaverit. Attamen ad rem a Sancta Sede postulandam nihil eum tandem magis impulit quam Constitutio ipsa cum adiunctis Ordinationibus. Nam in his, non solum recensetur Historia ecclesiastica (ut notum est) inter disciplinas principales Facultatum theologicarum (Ord., art. 27, I, 1) [1], sed inculcatur praeterea nullum posse in Professorum collegium cooptari qui Laurea *congruenti* non sit praeditus (Const., art. 21). Cum per se pateret nullam Lauream magis congruere professori Historiae ecclesiasticae quam Lauream in Historia ipsa ecclesiastica, pronum erat institutionem novae Facultatis ad mentem art. 3 par. 1 et art. 2 Constitutionis proponere.

Summus Pontifex Pius XI precibus P. Ledóchowski libenter annuit, ut in sequenti decreto Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus videre est:

DECRETUM

Historicarum disciplinarum cultores et magistros aptius parandi gratia, necnon ad eos qui de re missionaria agunt et ipsos divini verbi praecones qui ad gentes mit-

[1] Res iam dudum praeparabatur. Cf. epistolam Leonis XIII «Depuis le jour» 8 septembris 1899, ad Archiep. Episc. et Clerum Galliae, *ASS.* 32 (1899) 200; instructionem S. Congregationis Consistorialis ad Ordinarios Italiae 16 iulii 1912, *AAS.* 4 (1912) 496; praesertim vero ordinationem S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus 26 aprilis 1920, *Ordinamento dei Seminari* (Roma 1920) 28-29.

tuntur plenius instituendos, Pontificiae Universitatis Gregorianae Moderatores suppliciter postulaverunt, ut in eadem Studiorum Universitate *Facultas historiae ecclesiasticae* et Facultas missiologia erigerentur.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XI, infrascripto Cardinali Sacrae huic Congregationi Praefecto in audientia diei 26 iulii referente, omnibus rei momentis mature perpensis, benigne petitioni annuere dignatus est.

Haec itaque Sacra Congregatio, mandato et auctoritate Sanctissimi Domini Nostri Papae, in Pontificia Universitate Gregoriana *Facultatem historiae ecclesiasticae* et facultatem missiologicam praesenti decreto canonice erigit et erectas declarat, cum potestate conferendi gradus academicos secundum Statuta ab hac Sacra Congregatione approbata. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Callisti die VI mensis augusti, anno Domini MCMXXXII.

CAIETANUS Card. BISLETI, *Praefectus.*

L ✠ S. ERNESTUS RUFFINI *Secretarius* [2]

P. A. Walz O. P. his verbis fundationem commentatus est: « Non si potrebbe documentare in maniera più eloquente la portata che la Storia ecclesiastica assume nel cerchio degli studi ecclesiastici » [3].

* * *

Epistola Pii XII in qua nunc versamur, dum erectionem Facultatis laudat et confirmat, illustrat in prima sua parte luce nova motiva quibus erectio nititur. Fundamentum in ea ipsa indole speciali reponit, quam Sanctus Pater scholis Historiae ecclesiasticae pro theologis assigna-

---

[2] Decretum ad verbum reproducimus quia editum non fuit in AAS. De Facultate Missiologica non est hic locus disserendi.

[3] Cf. P. A. WALZ O. P., professor Hist. eccl. in Athenaeo « Angelicum »: *La storia ecclesiastica negli Atenei Romani dal secolo XVII al 1932.* Editum primo apud *Angelicum* 14 (1937) 450, et dein in opusculo *Studi storiografici* (Roma 1940) 43.

verat in aurea oratione quam die 24 iunii 1939 coram alumnis e romanis utriusque cleri Institutis pronuntiavit.

Specialis haec indoles melius intelligitur si verba Sanctitatis Suae conferantur cum epistolis Leonis XIII « Saepe numero considerantes » (18 augusti 1883)[4] et « Depuis le jour » (8 septembris 1899)[5], quae hucusque fundamentales in hac materia merito habebantur. Etenim Leo XIII duo quam maxime in his documentis commendat ad investigandam et docendam Historiam ecclesiasticam, quae in adiunctis saeculi XIX exeuntis peculiariter necessaria erant: ex una parte, artem vere criticam qua veritas, sola veritas, tota veritas quaeratur et exponatur; ex alia autem nisum quemdam apologeticum qui historiographiae rationalistae vel ad eam accedentis placita retundat, imprimis in his quae ad historiam Status Pontificii[6] et ad progressum dogmatum spectant[7].

Pius vero XII confirmat quidem iterum negligendas minime esse a theologis quaestiones criticas et apologeticas, sed potissimum assignat praelectionibus Historiae ecclesiasticae in Facultate theologica scopum *magis formativum et practicum* quem, hanc nactus occasionem, rursus in Epistola inculcat ut rem quae sibi cordi est: praestare videlicet et fovere in alumnis *maturam de Ecclesiae conditione iudicium et sincerum erga Ecclesiam amorem*. Ex quo fine assequendo (qui quantum in futuri sacerdotis et episcopi institutione valeat per se patet) deducit Summus Pontifex indolem praelectionum ipsarum. Debebunt scilicet ponere velut ob oculos auditorum, non

---

[4] *ASS*, 16 (1883) 49-57.

[5] *Ibid.* 32 (1899-1900) 202-204.

[6] « Ad alienandos multitudinis animos, adversari quidem Pontificatus dictus est rebus italicis; sed incriminationem iniquam ac stultam ea ipsa, quae supra commemoravimus, satis convincunt ». *Ibid.* 16 (1883) 56-57.

[7] « Ceux qui l'étudiaient [la vie de l'Eglise] ne doivent jamais perdre de vue qu'elle renferme un ensemble de faits dogmatiques, qui s'imposent à la foi et qu'il n'est permis à personne de révoquer en doute ». *Ibid.* 32 (1899-1900) 202-203.

adeo quaestiones quasdam particulares vel circumscriptam temporis periodum, sed *vitam* ipsam *actuosam Ecclesiae per saecula decurrentem;* imprimis (ut in oratione anni 1939 fusius declaravit) eius labores, passiones, opera caritatis. Reflectendum simul est in huius vitae vicissitudines, ita ut bene advertamus « ubinam pericula lateant quae florescenti Ecclesiae statui obstent; qua in condicione publicae rationes inter Ecclesiam et civitates se bene habuerint, in quo vero minus bene; quantum Ecclesia politicae potestati cedere possit, quibusnam autem in adiunctis immobilis stare debeat » [8].

Nemo non videt ad synthesim eiusmodi historicam bene exponendam requiri in professore, praeter eruditionem non vulgarem et sensum criticum, etiam maturum de vita religiosa, sociali, politica et culturali iudicium. Hinc, secundum eamdem Epistolam pontificiam, necessitas eruitur peculiaris institutionis in futuris magistris per apta studia, aptasque exercitationes.

Alterum argumentum, quod quidem nunc primo in hac Epistola proponitur, periculum est multiplex, quod his Historiae ecclesiasticae studiis insidet, nec sine sollerti magistrorum directione facile vitabitur: in eruditione, indigesta farrago; in crisi exercenda, exaggerationes « sive indocte deficientis sive imprudenter exuberantis criticae »; in iudiciis tandem sibi efformandis, illa in Ecclesiae rebus aestimandi ratio « quae ex acatholicorum auctorum imitatione facile profecta, eventus humanas vires saepenumero transcendentes parvulo mentis nostrae modulo diiudicare ac metiri temere conatur ».

Duplici hoc argumento innixus, Summus Pontifex approbat et laudat institutionem Facultatis Historiae ecclesiasticae, et quidem ut logicam consequentiam Constitutionis « Deus scientiarum Dominus », et praesertim eius art. 21 circa *Lauream congruentem*. Ad disputationes ca-

[8] *AAS*, 31 (1939) 248. Documentum habetur in nostris *Periodicis* 28 (1939) 300-301.

nonistarum circa sensum huius articuli, non carebit fortasse momento formula magis expressa quam Epistola adhibet. Nam ubi Constitutio dicit: « Ut quis in Professorum Collegium legitime cooptetur, requiritur ut ... *Laurea congruenti* praeditus sit », Epistola scribit: « Pius XI, per Apostolicam Constitutionem „ Deus scientiarum Dominus " ... diversarum disciplinarum professores *sua quemque Laurea* esse instruendos edixit ».

* * *

Altera Epistolae pars Facultatis ipsius operam respicit, unde fit ut eius momentum tam late patere non possit. Tamen quia agitur de institutione in studiis ecclesiasticis nova, supervacaneum fortasse non erit quaedam de eius historia referre quae verba Summi Pontificis atque occasionem ipsam epistolam conscribendi illustrent.

Cursus academicus 1942-43, quo Pius XII vigesimum quintum annum sui Episcopatus agebat, erat decimus a Facultatis fundatione. Hac igitur utentes opportunitate Summo Pontifici speciale obsequium praestandi, Professores Facultatis obtulerunt ei die 4 iulii 1943 [9] singulare volumen ex propria commentariorum serie « Miscellanea Historiae Pontificiae » quod tam ipsi quam aliqui ex antiquis alumnis, doctores iam renuntiati, in illius honorem composuerant sub titulo « Xenia Piana » [10]. Cui adiungere

---

[9] Interfuerunt Audientiae Pontificiae Rector Magnificus Universitatis R. P. Paulus Dezza; P. Petrus Leturia, Decanus Facultatis; P. Iosephus Grisar, Moderator « Miscellaneorum Historiae Pontificiae »; Rev. Don Aloisius Cástano Soc. Sal., nomine doctorum Facultatis; tandem R. P. Henricus Dammig, Min. Inf., qui ex modernioribus alumnis praemium *Pacelli* eo anno tulerat.

[10] In elenchum commentariorum et auctorum. — P. Ludovicus Hertling S. I. Prof. in Fac. *Communio und Primat* pp. 1-48. — P. Engelbertus Kirschbaum S. I. Prof. in Fac. *Die Reliquien der Apostelfürsten und ihre Teilung. Zur Geschichte einer alten Ueberlieferung* pp. 49-82. — D. Ioseph Zunzunegui Dr. Hist. Eccl. et Prof. Hist eccl. in Seminario Victoriensi. *La Legación en España del Cardenal Pedro de Luna 1379-1390* pp. 83-138. — D. Aloisius Cástano Soc. Sal. Dr. Hist. eccl. et Praeses studentium Coll. Salesiani in Urbe. *Pio IV e la Curia*

placuit, in testimonium quotidiani laboris Facultatis, dissertationes usque ad illum diem ab eius alumnis typis editas. Haec est ratio cur Augustus Pontifex paternas suas laudes primo ad « actuosam sedulitatem » Facultatis in ordinariis suis laboribus, et dein ad « Miscellanea Historiae Pontificiae » dirigere dignetur.

Ordo studiorum Facultatis, qui tribus annis absolvitur, constat stadiis rursus tribus. *Primum est introductionis* per semestre, in quo methodologia historica per binas horas ac ei adiunctae exercitationes per binas rursus horas in hebdomada, historia Institutionem ecclesiasticarum et duo maiores cursus historiae Antiquae et Modernae peraguntur. Cursus clauditur examine orali « coram » per semihoram. *Alterum est praeparationis ad Licentiam per tria semestria,* quibus, praeter cursus principales de historia Antiqua Mediaevali Recentiori et Moderna, habentur unus cursus synthesis historicae, duae exercitationes obligatoriae, totidem cursus de disciplinis auxiliaribus historiae (Palaeographia nempe latina, Diplomatica praesertim pontificia, Archaeologia et Epigraphia cum visitatione Monumentorum Urbis, historia Curiae Romanae, Archivistica cum visitatione praecipuorum archivorum Romanorum et Vaticanorum), et tandem selecti cursus speciales de historia Artis, de re Hagiographica, de Philologia latina mediaevali, de historia Missionum, de Ecdotica etc. Examina peculiaria ad Licentiam fiunt secundum praescripta Constitutionis « Deus scientia-

---

Romana di fronte al dibattito tridentino sulla Residenza: 7 *marzo - 11 maggio 1562*. pp. 139-176. — P. Leo Lopetegui S. I. Prof. in Fac. Miss. et Hist. eccl. *El Papa Gregorio XIII y la ordenación de mestizos hispano-incáicos* pp. 177-204. — P. Ioseph Grisar S. I. Prof. in Fac. *Päpstliche Finanzen, Nepotismus und Kirchenrecht unter Urban VIII*. pp. 205-367. - P. Petrus Leturia S. I. Prof. in Fac. *El viaje a América del futuro Pontifice Pio IX*: *1823-1825* pp. 367-445. — P. Romanus Fausti S. I. Prof. in Fac. *Il P. Giuseppe Marchi S. I.* († *1860*) *e il rinnovamento degli Studi di Archeologia cristiana auspici Gregorio XVI e Pio IX* pp. 445-514.

Iudicium criticum de his studiis edidit Mons. Hubert Jedin apud *Gregorianum* 25 (1943) 384-391.

rum Dominus ». *Tertium stadium absolvitur anno doctoratus* seu *Laureae*, in quo, praeter exercitationem propriam et duos cursus selectos Historiae ecclesiasticae, proponitur cursus Historiologiae seu Philosophiae et Theologiae historiae; praesertim autem Laurea conficitur et, si finita iam sit, defenditur.

In primo hoc decennio 1932-1933 ad 1941-1942 numerus medius alumnorum accessit quotannis ad 35-45 fere omnium Nationum ac linguarum; quorum itali 52 hispani 26, ex Statibus Foederatis Americae 14, germanici 10, galli 8, ex America linguae hispanicae 8, poloni 8, helvetici 7, angli 5, neerlandici 5, lusitani 5, croati 5, belgae 3, canadenses 3 etc. Bellum quo ab anno 1939 premimur impedivit ulterius alumnorum incrementum, iam eo tempore inchoatum, et praesertim fecit ut numerus italorum multo magis quam prius alias Nationes superaret. Summa omnium alumnorum in primis decem annis fuit 171, quorum 88 ex clero dioecesano, 82 ex viginti et septem familiis religiosis, 1 laicus. Ex his Licentiam obtinuerunt 109; dissertationem ad Lauream conscripserunt et secundo successu defenderunt 44. Inde ab anno 1936 editio publica integrarum dissertationum initium habuit, sed bello post tres annos incoepto rursus debetur quod earum solummodo undeviginti usque ad mensem iulium 1943 typis editae Romam pervenerint. Hae sunt dissertationes quas Summus Pontifex augusta Sua approbatione honestare dignatur ut a Facultatis « e variis Nationibus variisque linguis alumnis sollerti cura exaratas » [11]. Quae Nationum ac linguarum indeque etiam

[11] Apponimus dissertationum seriem ordine quo typis editae sunt: Dr. P. Mario Vanti Min. Inf. [Chronista Ordinis Min. Infirm.]. *Bernardino Cirillo, Commendatore e Maestro Generale dell'Ordine di S. Spirito 1556-1575*. Roma 1936, pp. 1-207. — Dr. P. Gabriel Segui Vidal M. SS. CC. [Prof. H. Eccl. in Coll. M. SS. CC. Palmae]. *La carta enciclica del Obispo Severo ... con un bosquejo histórico del cristianismo Balear anterior al siglo VIII*. Palma de Mallorca, 1937, pp. VI, 207. — Dr. P. Ricardo Garcia Villoslada S. I. [Prof. H. Eccl. in Fac. Theol. Salmanticensi, Moderator periodici « Estudios Eclesiásticos »]. *La Uni-*

argumentorum historicorum varietas multo maioris momenti, ut per se patet, in studiis Historiae ecclesiasticae

---

versidad de París durante los estudios de Francisco de Vitoria O. P. 1507-1522. Roma (Analecta Gregoriana vol. XIV) 1938, pp. XXVI, 468. — Dr. Don Ireneo Daniele [Prof. Hist. Eccl. in Seminario Patavino]. *I documenti costantiniani della « Vita Constantini » di Eusebio de Cesarea* (Analecta Gregoriana vol. XIII) 1938 pp. XIII, 227. — Dr. P. Cassiano da Langasco O. F. M. Cap. [Praef. Stud. et Prof. H. Eccl. in Coll. Ianuensi O. F. M. Cap.]. *Gli « Ospedali degli Incurabili » un Istituto della Restaurazione Cattolica.* Genova 1938, pp. XVI, 279. — Dr. Johann Baptist Villiger [Prof. H. Eccl. in Fac. Theol. Lucernensi]. *Das Bistum Basel zur Zeit Iohanns XXII., Benedikts XII. und Klemens VI: 1316-1352.* Roma (Analecta Gregoriana vol. XV) 1939, pp. XXVIII, 370. — Dr. Don Luigi Castano Soc. Sal. [Praef. Studiorum Coll. Sales. in Urbe]. *Mons. Nicolò Sfrondati Vescovo di Cremona al Concilio di Trento: 1561-1563.* Torino 1939, pp. XIV, 332. — Dr. P. German von Staldenried O. F. M. Cap. [Prof. Historiae in Coll. O. F. M. Cap. in Helvetia]. *P. Valerianus Magni Kapuziner: 1586-1661 ... Ein Beitrag zur Geschichte der Katholischen Restauration im XVII. Jahrhundert.* Freiburg im Breisgau 1939, pp. XV, 99. — Dr. P. Marc Dykmans S. I. [Prof. Theol. Fund. in Fac. Theol. Lovaniensi S. I.]. *Obituaire du Monastère de Groenendael dans la forêt de Soignes, publié avec une introduction et notes par* — Bruxelles (Académie Royale de Belgique) 1940, pp. XV, 566. — Dr. Don Jesús San Martin [Prof. H. Eccl. in Seminario Palentino] *El diezmo eclesiástico en España hasta el siglo XII.* Palencia 1940, pp. XV, 166. — Dr. Don Francesco Gosso [Prof. H. Eccl. in Seminario Taurinensi]. *Vita economica delle Abbazie Piemontesi: sec. X-XIV.* Roma (Analecta Gregoriana vol. XXIII) 1940, pp. 1-216. — Dr. P. Lucien Ceyssens O. F. M. [Prof. H. Eccl. in Athenaeo « Antonianum » O. FF. MM.] *L'ancienne Université de Louvain et la Déclaration du Clergé de France 1682.* Louvain (Extrait de la Revue d'Histoire Ecclésiastique 26 (1940) pp. 345-399). — Dr. P. Felix Zubillaga S. I. [Scriptor « Mon. Hist. S. I. » Romae]. *La Florida, la misión jesuítica (1566-1572) y la colonización española.* Roma (Bibliotheca Instituti Historici S. I. vol. I) 1941, pp. XIII-472. — Dr. P. Manuel Aguirre Elorriaga S. I. [Prof. H. Eccl. in Seminario Interd. Caracensi]. *El abate de Pradt en la Emancipación hispano-americana.* Roma (Analecta Gregoriana vol. XXV) 1941, pp. XX, 377. — Dr. Don José Zunzunegui [Prof. H. Eccl. in Seminario Victoriensi]. *El Reino de Navarra y su Obispado de Pamplona durante la primera época del Cisma de Occidente: Pontificado de Clemente VII de Aviñón.* San Sebastián 1942, pp. 388. — Dr. Don Giovanni Mantese [Prof. in H. Eccl. in Seminario Bresciano]. *Pietro Tamburini e il Giansenismo Bresciano.* Brescia (Monografie di Storia Bresciana vol. XXI) 1942, pp. XVI, 253. — Dr. P. Lino Gomez Canedo O. F. M. [Moderator periodici « Archivo Ibero-Americano » Matriti]. *Un gran español al servicio del Papa.*

reputanda est, quam in aliis scientiis quae nullo temporis et spatii ambitu continentur.

* * *

Quoad organum scientificum Facultatis « Miscellanea Historiae Pontificiae », primo anno Sui Pontificatus fundatum, laudat Pius XII eius institutionem ut Urbi in qua Facultas sedet omnino accommodatam, praesertim quia historiae Romanorum Pontificum pervestigandae « nulla antea extabat continuata commentariorum series ». Loquitur Summus Pontifex de seriebus continuis ad *unam* historiam Pontificiam consecratis. Notum quippe est plura adesse tam Romae quam alibi periodica et collectiones scientificas quae saepissime et egregie de historia Romanorum Pontificum disserunt, qualia sunt v. gr. (ut de aliquibus Romae editis loquamur) *Studi e Testi* inter collectiones, Römische Quartalschrift inter periodica. Facultas autem voluit *solam* et totam Historiam SS. Pontificum in suis « Miscellaneis » tractandam assumere.

Quare et quomodo consilium suum conceperit, aperuit eius moderator P. Iosephus Grisar in folio typis edito quo fundationem nuntiabat: « Facultas Historiae ecclesiasticae duplicem finem sibi in his « Miscellaneis » edendis proponit. Primo et immediate: contribuere pro viribus investigationi et divulgationi historiae Pontificiae; est enim Facultas Pontificia et Urbana. Secundo et mediate: viam pedetentim parare historiae criticae Romani Pontificatus in antiquo et medio aevo atque in saeculo XIX ea ratione et methodo conscribendae, quibus eam pro tempore Renascentiae et Restaurationis catholicae Ludovicus

---

Don Juan de Carvajal y el Cisma de Basilea: 1434-1448 Madrid (Extracto del Archivo Ibero-Americano) 1942, pp. xv, 104. — Dr. Don Serafino Prete [Prof. H. Eccl. in Sem. Interd. Molfettensi]. *La legenda nell'Agiografia Fermana antica.* Roma (Estratto della Rivista di Archeologia cristiana vol. XVIII) 1942, pp. 1-32. — Dr. Don Michael M. Müller Soc. Sal. *Der Uebergang von der griechischen zur lateinischen Sprache in der Abendlaendischen Kirche von Hermas bis Novatian.* Rom 1942 (Teildruck), pp. 1-45.

von Pastor egregie exaravit. Hunc autem scopum Facultas Historiae ecclesiasticae ... non poterit obtinere nisi auxilium benevolum plurium historiographorum praesto habeat ».

Cooperatio immediata et alacris quam novae collectioni dederunt plures eximii historiographi veluti Mons. Angelus Mercati, Praefectus Archivi Secreti Vaticani, et professores Martinus Grabmann, Umbertus Jedin et Gulielmus Peitz S. J. etc. clare ostendit novi operis opportunitatem. Non obstantibus difficultatibus temporis praesentis, prodierunt iam VII volumina, 16 opera diversa continentia, quorum ultima sunt « Xenia Piana ». Iam typis editum est vol. VIII quo P. Petrus Pirri S. J. primam partem litterarum secretarum quas Pius IX et Rex Victor Emmanuel II mutuo scripserunt prima vice divulgat. Sub prelo vero sunt tria alia volumina, quorum primum debetur professori Facultatis P. Friderico Kempf. Spes etiam habetur quod, bello finito et pace regnante, « Miscellanea Historiae Pontificiae » in duas publicationes, periodicum nempe scientificum statis temporibus edendum et seriem solutam commentariorum dividatur.

Epistola Pontificia clauditur paterna exhortatione ad professores ut primum eorum consilium, historiam ipsam Romanorum Pontificum pedetentim praeparandi, executioni dare non desistant. De qua re scribebat *L'Osservatore Romano*, die 22 martii 1944: « La sovrana allusione ha certo di mira, non opere di alta divulgazione, proprie di altri accreditati istituti, ma la storia scientifica dei Papi, iniziata per il tempo antico dal P. Hartmann Grisar S. J. e terminata per i tempi del Rinascimento e della Restaurazione cattolica dal barone Ludovico von Pastor. Sappiamo che questo fu pure un vivo desiderio dell'immortale Pontefice Pio XI. I nostri migliori voti sono per la realizzazione di una così alta opera nel seno della Facoltà di Storia ecclesiastica col ritorno della pace a Roma ed al mondo ».

P. Leturia, S. I.

14 - SS. D. N. Pius Pp. XII

CHIROGRAPHUS

De regimine instituti caritatis religionisque operibus tutandis, in civitaté vaticana conditi.
(*AAS* xxx [23 febr. 1944] p. 45)

PIUS PP. XII

Con Nostro Chirografo del 27 giugno 1942 abbiamo fondato ed eretto nella Città del Vaticano l'Istituto per le Opere di Religione, attribuendo ad esso la personalità giuridica e mantenendo in vigore per l'Istituto medesimo le disposizioni dello Statuto da Noi approvato nel 17 marzo 1941 per la preesistente Amministrazione delle Opere di Religione, in quanto tali disposizioni non fossero in contrasto con il ricordato Nostro Chirografo e fino a quando non apparisse opportuno di riformarle.

Essendo stato di recente chiamato al riposo eterno il Signor Cardinale Carlo Cremonesi, il quale con tanto zelo aveva tenuta la presidenza dell'Ufficio amministrativo prima dell'Amministrazione delle Opere di Religione e poi dell'Istituto da Noi eretto, e dovendosi ora procedere alla nomina del nuovo Presidente dell'Ufficio amministrativo dell'Istituto, abbiamo deciso di disporre, come con la Nostra Autorità disponiamo, quanto segue:

I. Presidente dell'Ufficio amministrativo dell'Istituto per le Opere di Religione è un Prelato, da nominarsi dalla Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto medesimo. Egli esercita tutte le funzioni già spettanti al Cardinale Presidente dell'Ufficio anzidetto.

II. Il Segretario, il Sostituto, gli impiegati minori dell'Ufficio amministrativo ed i Consultori dell'Ufficio medesimo sono nominati dalla predetta Commissione Cardinalizia di vigilanza.

III. La stessa Commissione nomina due revisori ordinari, di provata perizia in materia, i quali debbono eseguire le verifiche periodiche, prescritte dallo Statuto, e fare la revisione amministrativa e finanziaria annuale, nonchè l'esame del bilancio consuntivo di ogni anno, con la relazione da presentarsi alla Commissione Cardinalizia. La Commissione medesima nominerà i periti ai quali eventualmente si volessero affidare ispezioni straordinarie.

IV. Segretario della Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto per le Opere di Religione è il Prelato Presidente, il quale è pure *ponente*, cioè relatore delle materie inscritte all'ordine del giorno nelle adunanze della Commissione predetta.

V. Per tutti gli effetti giuridici l'Istituto è rappresentato congiuntamente dal Prelato Presidente dell'Ufficio amministrativo e dal Segretario dell'Ufficio medesimo.

VI. La Commissione Cardinalizia di vigilanza dell'Istituto redigerà e proporrà a Noi le modifiche allo Statuto 17 marzo 1941, che, per, l'esecuzione del presente Nostro Chirografo, apparissero necessarie.

VII. Qualsiasi disposizione contraria al presente Nostro Chirografo è abrogata.

VIII. Il presente Nostro Chirografo sarà pubblicato negli *Acta Apostolicae Sedis.*

Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Vaticano, il giorno 24 gennaio 1944, anno quinto del Nostro Pontificato.

PIUS PP. XII

15 - Suprema S. Congregatio S. Officii

(*AAS* xxxv [26 iun. 1944] p. 176)

DECRETUM

OPERA PROHIBENTUR

Feria IV, die 17 *Maii* 1944

Decreto 26 Martii 1924 huius Supremae Sacrae Congregationis S. Officii *opera et scripta omnia* ERNESTI BUO-

NAIUTI damnata fuerunt; qui nihilominus perstitit in operibus edendis, etiam fundamenta fidei christianae evertere nitentibus, quorum aliqua iam a S. Officio proscripta sunt; nuperrime autem opus omnino improbandum edidit, cui titulus « Storia del Cristianesimo ».

Itaque Emi ac Revmi Patres Cardinales Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, rebus fidei ac morum tutandis praepositi, in plenario conventu feriae IV, diei 17 Maii 1944, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnaverunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserenda mandarunt *opera et scripta omnia* ab ERNESTO BUONAIUTI post decretum supradictum usque ad eundem diem 17 Maii 1944 edita.

Et sequenti feria V, die 18 eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 17 Iunii 1944.

Ioannes Pepe, *Supr. S. Congr. Sancti Officii Notarius.*

16 - Suprema S. Congregatio S. Officii

(*AAS* XXXVI [28 iul. 1944] p. 212)

DECRETUM *

Postremis hisce temporibus non semel ab hac Suprema S. Congregatione S. Officii quaesitum est, quid sentiendum de systemate *Millenarismi mitigati*, docentis scilicet Christum Dominum ante finale iudicium, sive praevia sive non praevia plurium iustorum resurrectione, visibiliter in hanc terram regnandi causa esse venturum.

Re igitur examini subiecta in conventu plenario feriae

* Vide annotationes ad decretum S. Officii in *Periodica*, XXXI, 168.

IV, diei 19 Iulii 1944, Emi ac Rev.mi Domini Cardinales, rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. Consultorum voto, respondendum decreverunt, *systema Millenarismi mitigati tuto doceri non posse.*

Et sequenti feria V, die 20 eiusdem mensis et anni, SSmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Excmo ac Revmo D. Adsessori S. Officii impertita hanc Emorum Patrum responsionem approbavit, confirmavit ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 21 Iulii 1944.

I. Pepe, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

17 - S. Congregatio de Religiosis

(AAS. xxxvi [28 iul. 1944] p. 213).

I

DECRETUM

Quo efficacius atque fructuosius Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita munere sibi per can. 251 concredito perfungi valeat, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia diei 24 Ianuarii 1944 infrascripto Secretario concessa, adprobare dignatus est, auctoritate apostolica, erectionem atque constitutionem in sinu eiusdem S. Congregationis, specialis Coetus seu Commissionis virorum idoneorum, quae omnes quaestiones ac negotia quavis ratione ad adspirantium et novitiorum iuniorumque sodalium, cuiuslibet religionis ac societatis, in commune vventium sine votis, religiosam et clericalem educationem atque in litteris scientiisque et ministeriis institutionem spectantia pertractet.

Constitutae Commissioni incumbent praesertim munera quae sequuntur:

a) definiendi et delineandi criteria cardinalia et peculiares notas, quibus educatio ac institutio religiosorum duci iugiter debet;

b) vigilandi circa ordinationes a Superioribus et Capitulis in rebus ad educationem et instructionem pertinentibus latas; necnon inspiciendi et recognoscendi relationes a Superioribus vel ab Apostolicis Visitatoribus quoad hoc exhibitas.

Commissio autem ad sessiones ordinarias vel extraordinarias, plenarias vel partiales, prouti negotiorum agendorum natura ac momentum ferre videantur, convocabitur. Sessiones habebuntur praeside ac moderante Sacrae Congregationis Secretario. Discussiones ac decisiones in acta opportune referentur.

Omnia illa quae a Commissione tractanda sunt quaeve singulorum Commissariorum vel Peritorum studio ac examini erunt subiicienda colligere, ordinare et convenienter praeparare Officialium erit Sacrae Congregationis, quorum etiam erit acta et documenta ad Commissionem pertinentia in Archivo asservare, decisiones sub ductu et auctoritate Praesidis executioni mandare aliaque ad rem spectantia ad praxim deducere et expedire.

Contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis, die, mense et anno ut supra.

Fr. L. H. Pasetto, *Secretarius*.

P. Arcadius Larraona C. M. F., *Subsecretarius*.

II

Ex Secretaria S. Congregationis de religiosis (n. 2090/44).
Romae, die 10 iunii 1944.

Rev.me Pater,

Quantum conferat recta adspirantium, novitiorum et iuniorum religiosorum institutio cuiuslibet religionis pro-

speritati, necnon Sanctae Ecclesiae utilitati, neminem fugere potest. Porro iam inde ab editis praeclaris normis Codicis Iuris Canonici (cc. 538-591) et subsequentibus ordinationibus seu instructionibus (epist. Apost. Pii Pp. XI, *Unigenitus Dei Filius*, 19 martii 1924; Instr. *Quantum Religiones*, 1 decembris 1931), quibus sane disciplinam atque studia religiosorum haud parum profecisse omnibus compertum est, non destitit Mater Ecclesia advigilare, praesertim per inspectionem relationum quinto quoque anno a Superioribus Sanctae Sedi exhibendarum (Decr. 8 martii 1922 et Instr. 25 martii 1922), ut alumnorum institutio ad illas normas fidelius in dies sese conformaret. Nunc autem opportunum visum est accuratius ad rem tanti momenti animum advertere.

Cum vero ad hanc Sacram Congregationem, salvo can. 256, exclusive spectent ea quae disciplinam et studia religiosorum sodalium respiciunt (can. 251 § 1), apud ipsam Decreto n. 2090/44 diei 24 ianuarii 1944 erecta est Commissio permanens, cuius erit iis quae ad disciplinam simul et institutionem alumnorum religionum pertinent invigilare, opportunis instructionibus providere, maiorem efficaciam conferre.

Quo munere ut fructuosius fungatur, multum proderit, immo necessarium est ut de modo quo studia humaniora, philosophica et theologica in singulis religionibus ordinantur et peraguntur documenta certa et satis completa Sacra Congregatio possideat. Ad hunc finem obtinendum Sacra Congregatio approbante SSmo Domino Nostro decrevit, ut ad Superiores Generales religionum et societatum de quibus agitur in c. 673 ss., elenchus quaestionum mitteretur quibus clare, distincte, et singulatim responsa darent. Praesides Congregationum adnexas quaestiones cum singulis monasteriorum sui iuris Superioribus communicabunt; hi autem respondere poterunt sive directe ad Sacram Congregationem sive per tramitem Praesidis suae cuiusque Congregationis Monasticae.

Etsi temporum adiuncta commercium litterarum cum provinciis vel his aequiparatis religionum districtibus non permittant, apud omnes illarum Superiores iam ea prostare documenta censendum est quibus conspectus sufficiens hodiernae studiorum ordinationis praeberi possit. Responsa dari debent intra mensem Octobrem c. a. Quod si ad singulas quaestiones responsionis elementa deficiant, satis erit ea referre quae in promptu habentur, quae cum fausta tempora permittent, compleri poterunt, per alias relationes statis temporibus ad Sanctam Sedem mittendas.

Si vero Superior quaedam adiungenda censuerit quibus responsa illustrari putet, id facere minime prohibetur. Statuta vero et Instructiones, si quae sint, sive generalia sive provincialia, quae ad ordinationem studiorum humaniorum, philosophicorum et theologicorum spectent, duplici exemplari simul cum relatione et responsis exhibere ne omittat.

Omni qua par est reverentia

Paternitati Tuae Revmae
addmus in Domino
Fr. L. H. Pasetto, *secretarius*

ELENCHUS QUAESTIONUM

1. Nomen Religionis (Ordinis, Congregationis monasticae, Monasterii sui iuris, Societatis, etc.).

2. Locus Domus Generalitiae vel Sedis principalis (circumscriptio ecclesiastica et civilis).

3. Quot sunt provinciae, districtus, missiones independentes, domus autonomae? Detur earum elenchus.

4. Habent ne singulae provinciae, districtus, missiones independentes, autonomae suas sedes studiorum humaniorum, philosophicorum, theologicorum, iuxta praescriptum can. 587 § 1?

Detur elenchus domorum in quibus docentur litterae humaniores, philosophia, theologia, iisque adnexae disciplinae.

Detur elenchus domorum in quibus erecta est cum adprobatione Sanctae Sedis facultas philosophica, theologica vel iuridica ad normam Ordinationum Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus ad exequendam Const. *Deus scientiarum Dominus* editarum (12 iunii 1931).

Si religio vel provincia, etc., sedibus studiorum rite instructis careat, ubinam sodales studia peragunt, ad praescriptum can. 587 § 3?

5. Cuiusnam auctoritatis (Capituli generalis aut, et quorumnam Superiorum iuxta can. 587 § 1) approbationi subest

erectio et translatio sedium studiorum? Item deputatio seu nominatio et remotio singulorum cuiuslibet sedis moderatorum?

Detur prospectus officiorum quae, iuxta cuiuslibet religionis constitutiones seu statuta, in qualibet studiorum sede constitui solent, pro regimine, disciplina atque institutione alumnorum.

6. Estne praefectus studiorum pro tota religione, pro singulis probinciis vel aequiparatis districtibus, pro singulis domibus in quibus studia peraguntur?

7. Quot fuerunt, ultimo decennio, alumni missi ad Athenaea Romana, ut gradus academicos obtinerent in philosophia, in theologia, in iure canonico, in re biblica, aliisve facultatibus?

8. Quot alumni iisdem studiis vel aliis vacarunt, in aliis Universitatibus catholicis?

9. Quot alumni studuerunt in Universitatibus civilibus? Quibusnam disciplinis vacarunt?

10 Ubinam se recipiunt religiosi studentes qui Universitates colunt vel qui studiorum causa longe a propria domo mittuntur? Servaturne praescriptum can. 587 § 4?

11. An a candidatis ad religionem exigitur ut iam cursum studiorum humaniorum, secundum morem regionis, perfecerint? quomodo providetur iis qui eadem non peregerunt?

12. Exigiturne ab omnibus qui studia philosophica inceperi sunt solida linguae latinae cognitio?

13. Quot anni completi consecrari solent studiis humanioribus, antequam alumni ad curriculum philosophicum promoveantur?

14. Quot anni completi ab omnibus consecrantur studiis philosophiae scholasticae? Philosophia scholastica doceturne una cum aliis disciplinis ad ipsam non spectantibus an separatim? Quot annis in utroque casu?

15. Quot anni adhibentur theologiae scholastica methodo simul et positiva docendae et discendae?

16. Quot horae in hebdomada tribuntur: a) tractatibus philosophiae scholasticae; b) theologiae dogmaticae; c) theologiae morali; d) scripturae sacrae; e) iuri canonico; f) historiae ecclesiasticae?

17. Quandonam incipit annus scholaris? Quandonam cessat, i. e. finis scholis imponitur? Quaenam feriae conceduntur: nataliciae, paschales, aestivae? Quot circiter diebus in anno schola vacat ob festa religionis vel status propria? Quot ob alia motiva?

18. Quot diebus summatim in anno docetur? Habeturne kalendarium scholasticum? Quisnam ipsum approbat?

19. Quomodo ordinantur vel dividuntur feriae aestivae ut spiritus religionis non intepescat et studiis privatis opportuna facultas detur?

20. Quaenam sunt exercitia pietatis scholaribus religionis praescripta: singulis diebus (oratio mentalis, etc.), hebdomadibus, mensibus, annis...?

21. Quaenam est ordinatio examinum quinquennalium, iuxta can. 590?

22. Quandonam conferuntur ordines minores... subdiaconatus... diaconatus... presbyteratus...?

23. Existuntne statuta generalia studiorum pro tota religione (congregatione monastica, etc.) et pro singulis provinciis?

24. Datae suntne instructiones speciales de studiis humanioribus, philosophicis et theologicis, praesertim ab anno 1938?

Annotatio

S. Congregationi de Seminariis et Universitatibus studiorum competit « moderatio regiminis ac studiorum, in quibus versari debent athenaea seu quas vocant Universitates vel Facultates quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus diriguntur » (c. 256 § 1). Regimen autem domorum studiorum in quibus gradus academici canonice non conferuntur, si ad religionem societatesve de quibus in c. 673 ss. pertinent, S. Congregationi de Religiosis unice competit. Haec, ut patet, sola competens est circa novitiorum ac professorum religiosam institutionem. Quo melius suo munere fungi possit, decrevit investigare in illam institutionem sub respectu humano, disciplinari, religioso.

Ad id constituta est Commissio de qua in decreto 24 ian. 1944. Commissarii ad varias omnino religiones et nationes pertinent, et ex muneribus, quae obierunt, in quaestionibus de institutione scientifica et religiosa bene versati. Praevidetur quoque recursus accidentalis ad « peritos » qui Commissarii non sint. Si adiuncta id suaserint, S. Congregatio per Visitatores Ap. in condicionem rerum et personarum investigabit. Quae enim magnae religiones centralizati regiminis facile praestant, iis interdum in parvis Congregationibus vel Monasteriis sui iuris vel in quibusdam provinciis non satis provisum est.

S. Congregatio finem immanis belli non esse exspectandum iudicavit ut notitias etiam incompletas de studiorum statu sibi procuraret, quae suo muneri implendo auxilio esse possent. Quare iam die 10 iun. 1944 litteras de hac re cum certo Superiorum maiorum numero communicavit.

J. C., S. I.

18 - S. Congregatio Rituum

(*AAS* XXXVI [20 ian. 1944] p. 28)

I

DECRETUM

DE USU SALIVAE IN ADMINISTRATIONE BAPTISMI

Quanta cura ac vigilantia Catholica Ecclesia ritus et caeremonias in sacrosancto Missae sacrificio ac Sacramentorum administratione, apostolicis traditionibus sanctorumque Patrum decretis constituta, observare studuerit, compertum est e constanti sollicitudine qua liturgicos libros ediderit, et ubique fideliter servandos constituerit. Ipsa insuper sacra Tridentina Synodus (Sess. VII, cap. XIII) de his ritibus decrevit in haec verba: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit ». Haec autem minime officiunt quominus, ubicumque gravis ratio suadeat, ritus aut caeremoniae a competenti auctoritate mutari possint, ne fideles a Sacramentorum susceptione alienentur. Quum vero plures Sacrorum Antistites, sacerdotes et missionales notum fecerint quandoque in administratione Baptismi tam parvulorum quam adultorum contagionis adesse periculum aures naresque baptizandorum saliva oris sui tangendo, Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae XII, rubricam Ritualis Romani Tit. II, cap. II, n. 13 ita reformandam decrevit: « Postea sacerdos pollice accipit de saliva oris sui (quod omittitur quotiescumque rationabilis adest causa munditiei tuendae aut periculum morbi contrahendi vel propagandi) et tangit aures et nares infantis... » et in futuris eiusdem Ritualis Romani

editionibus inserendam mandavit. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 14 Ianuarii 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

Annotationes

Hoc decreto conceditur cuilibet sacerdoti facultas, vel potius imponitur obligatio omittendi in quibusdam casibus usum salivae « oris sui », ubi pro ordine baptismi romano ante triplicem abrenuntiationem duplicemque olei unctionem, quae ipsum baptismum praecedunt, baptizandi aures ac nares pollice ministri tangendae sunt, cum his verbis: « Ephpheta, quod est adaperire. In odorem suavitatis. Tu autem effugare diabole; appropinquabit enim iudicium Dei ». *Rituale romanum*, 1925, tit. II, c. 4, n. 34; c. 2, n. 13. Scilicet tactum illum potest et debet sacerdos sine saliva agere, quotiescumque rationabilis aderit causa munditiae tuendae, vel periculum morbi contrahendi, vel morbi propagandi. In his casibus usum salivae non solum omitti posse, sed debere, demonstratur verbis quae iussu S. Congregationis rubricae ritualis deinceps inserenda sunt, quippe quae simpliciter dicant in dictis casibus usum salivae omitti: « quod omittitur... ». Etenim vero munditiem tueri non tantum rationabilis cura semper est, sed est quoque officium caritatis, et in causa nostra etiam religionis. Causa igitur munditiae tuendae aderit, quotiescumque illi usus salivae vere officiet, sive immunditiae incommodum ipse minister, sive baptizandus passurus est, neque necesse est usus salivae graviter munditiae adversetur, quod non tam facile accidet, sed ut praescribit decretum, usus salivae omittitur, quotiescumque rationabilis adest causa munditiae tuendae.

Quare etiam delicatioribus hominum hodiernorum sensibus, diversorumque populorum moribus ac praeiudiciis aliquid concedendum videtur, quoniam permulti hodie, praesertim inter politiores, vel ab ipso alienae salivae contactu abhorrent. Nonne ipsius S. Congregationis mens est ritus ac caeremonias a competenti auctoritate esse ita temperandas, ne fideles a sacramentorum susceptione alienentur? Unius tantum sacrorum rituum formalis ac superbioris contemptus nulla ratio habeatur. Ceterum nobis magis placet sacerdotem plane se abstinere ab accipiendo « de saliva oris sui », quod praescribit rubrica, utique ut hac, quamvis parcissime, aures et nares baptizandi madefaciat, quam eum idem simulate agere, labra dumtaxat sua vel linguam tangendo, pollicemque suum tam leviter imbuendo, ut prorsus nulla saliva naribus auribusque baptizandi applicetur.

Multo magis urgebit obligatio salivam non adhibendi, si ex huius usu timebitur morbi cuiusdam contagio seu propagatio, sive periculum aderit ne minister morbum quo afficiatur baptizandus, ipse contrahat, sive metuendum erit ne proprium morbum baptizando transmittat, vel morbum alicuius baptizandi in alium transferat. Porro si satis est ad inducendam obligationem usus salivae omittendi ut appareat causa rationabilis munditiae tuendae, multo minus ad hoc necesse erit ut instet grave contagionis periculum, sed tactus aurium et narium agendus erit sine saliva, quotiescumque verum, etsi leve, periculum rationabiliter timebitur. Quantum odium cum in ministros sacros, tum in ipsos ritus excitari posset apud catholicos tepidiores, si vel in uno casu demonstraretur videreturve demonstrari hominem quendam adultum vel infantem e baptismo suo morbum etiam leviorem accepisse! Quam speciosam rationem multi sibi inde fingerent filios suos non iam ad ecclesiam ferendi, ut a sacerdotibus sollemniter baptizentur! Quam formidolosissimum telum sic christianae religionis inimicis in manus daretur, quorum praecipuum studium est baptismum e moribus populorum exter-

minare! Nec re vera deesse omne contagionis periculum in salivae usu ostendunt plurium sacrorum Antistitum, presbyterorum, missionariorum testimonia, quae decretum memorat.

Huius decreti verbis similis ferme est norma ritualis romani hodierni de unctione pedum in administranda extrema unctione, cum decernit illam unctionem omitti posse « ex qualibet rationabili causa » (tit. V, c. 1, n. 16; c. 2, n. 11). Verum est usum salivae non posse, sicut pedum unctionem, omitti qualibet de causa, sed munditiae tuendae tantum vel vitandae morborum contagionis, sed hae causae reapse tam late patent, ut omnem fere causam ob quam prudenter omittendus esse videatur usus salivae, complectantur.

Ut autem manifestius appareat novum S. Congregationis decretum nequaquam curae ac reverentiae adversari quam Ecclesia catholica in observandis sacris missae ac sacramentorum ritibus constanter demonstravit, iuvat pauca quaedam hic indicare ex historia cum ipsius ritus quo paulo ante suum baptismum baptizandi aures ac nares pollice sacerdotis tanguntur, seu ritus *Ephpheta*, tum moris pro quo sacerdos in eodem tactu agendo salivam suam adhibet.

Ante omnia sedulo distinguendus est ritus *Ephpheta* a ritu illo quo inter praeparationis suae exercitationes competentibus, hoc est electis ad proximum baptismum, « tradebantur » evangelia, illis scilicet explicabatur quinam essent auctores, quaenam propriae singulorum evangeliorum rationes, quamquam hic ritus in documentis liturgicis gallo-romanis saeculi VII et VIII nomine « apertionis aurium » fere designatur. *Sacramentarium gelasianum*, I, xxxiii-xxxvi, edit. H. A. Wilson, p. 48-60; *Ordo romanus* VII, 4-7, PL, 78, p. 996C-998B; Ordo *Primitus enim adventum*, edit. C. Silva-Tarouca, p. 206; Ordo e codice Turicensi Car. C. 102, edit. M. Gerbert, t. II, p. 1-5; *Missale gothicum*, XXVII, PL, 72, p. 263D-265C; *Missale gallicanum vetus*, XI-

XIV, p. 348D-354C; XV, p. 354C-365D; *Missale Bobbiense*, p. 487B-492B. In iisdem documentis cum evangeliorum traditione plerumque coniungitur traditio symboli, cuius proprius dies in ecclesiis Gallicanis erat dominica palmarum, in ecclesiis Lombardicis sabbatum ante hanc dominicam. *Sacramentarium Bergomense*, 79, DACL, t. V, p. 286; *Lectionarium Mediolanense*, 61, p. 292; s. Maximus Taurinensis, *Homilia* 83, *De traditione symboli*, PL, 57, p. 431-440. Porro geminae isti evangeliorum ac symboli traditioni adiungitur fere semper traditio orationis dominicae. Evangeliorum traditio fiebat Romae feria IV post dominicam IV quadragesimae, seu in hebdomade quae mediana vocabatur. Eodem die competentibus a sacerdote manus imponebatur et deinde cum eiusdem manus extensione super eos recitabatur oratio *Aeternam ac iustissimam pietatem*, quam rituale romanum servavit (tit. II, c. 4, n. 28; c. 2, n. 9). In missa eadem gemina lectio ante evangelium, idemque evangelium recitabatur quod hodie; idem quoque erat introitus et reliqui cantus missae. *Capitulare evangeliorum*, T. Klauser, A, 77; B, 88; C, 84; D, 97; P. 90; *Comes Alcuini*, 58-59, DACL, t. V, p. 303; *Comes Wirceburgensis*, 65-66, t. VIII, p. 2289; *Comes Murbacensis*, 51, t. V, p. 317; *Liber comitis*, L, L^a, LIII, LIII^a, edit. W. H. Frere, t. III, p. 7; *Antiphonale sextuplex*, edit. R. J. Hesbert, 63. Feria IV eadem ecclesiae gallo-romanae suam « aurium apertionem » celebrabant, quo die etiam tertium ac praecipuum e septem suis scrutiniis agere consueverant. Lectiones tamen et cantus missae a romanis discrepabant. Praeterea in sacramentario Bobbiensi traditio symboli pro more ecclesiarum gallicanarum, in dominica Palmarum fixa mansit, sed illi praeposita est traditio evangeliorum cum hoc titulo *In symbolum ad aurium apertionem ad electos*. In libro comitis Corbeiensi apertio aurium videtur esse translata in sabbatum sequens, cuius missae in eodem lectionario altera lectio prophetica adiuncta est, Is., 55, 1-11, cum missa feriae IV duas consuetas ritus romani le-

ctiones habeat. Cur ritus traditionis evangeliorum nomen « aurium apertionis » acceperit non liquet. Unus AMALARIUS in suo *Libro officiali*, l. I, c. 8, PL, 105, p. 1005B, affirmat eadem illa feria IV hebdomadis quadragesimalis quartae fuisse ante traditionem evangeliorum tangendas aures et nares catechumenorum digitis presbyterorum. Reapse nullum sacramentarium, nullumque ordinem novimus quo simile quid statuatur. Et ad quid tangendae fuissent nares competentium ante quam illis traderentur evangelia? De « aurium apertione » cfr. P. DE PUNIET, *Apertio aurium*, in DACL, II t. II, p. 2523-2537.

Ritus *Ephpheta* e contrario a suis initiis perpetuo cum ultimis ante ipsum baptismum ritibus coniunctus mansit unaque cum iis sabbato sancto mane celebrabatur. Vetustissimus quoque est eius usus in ritu romano et in aliis ritibus huic finitimis, quoniam illius mentionem iam facit s. AMBROSIUS, cum in *Libro de mysteriis ad initiandos*, c. 1, 3-4, PL, 16, p. 386B-390A, tum in l. I *De sacramentis*, c. 1, 2-3, p. 417A-419A. In hoc enim scribit: « Ergo quid egimus sabbato? Nempe apertionem; quae mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos et nares. Quod significat in evangelio Dominus noster Iesus Christus, cum ei oblatus esset surdus et mutus, et tetigit aures eius et os eius; aures quia surdus erat; os quia mutus, et ait: *Ephpheta*. Hebraicum verbum est quod latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuae ad sermonem et ad alloquium sacerdotis. Sed dicis mihi: Quare nares? Ibi, quia mutus erat, os tetigit, ut, quia loqui non poterat sacramenta caelestia, vocem acciperet a Christo. Et ibi, quia vir, hic, quia mulieres baptizantur, et non eadem puritas servi quanta et Domini,... ideo propter gratiam operis et muneris non os tangit episcopus, sed nares, ut bonum odorem accipias pietatis aeternae, et ut dicas Christi enim bonus odor sumus Deo, quemadmodum dixit apostolus sanctus, II Cor. 2, 15, et sit in te fidei devotionisque plena fragrantia ». Dubium

quidem non est quin ritus *Ephpheta* imitatione aliqua sanationis surdimuti, a *Marco*, 7, 31-35 narratae, constitutus sit, sed nobis non liquet Ecclesiae mentem unquam fuisse tactum narium in locum tactus linguae substituere, immo haec sententia nobis nequaquam probabilis videtur. Ut enim mox dicturi sumus, in pluribus documentis liturgicis priore loco non aurium sed narium tactus ponitur, neque cum illo sed cum hoc coniunguntur verba « Ephpheta, hoc est adaperire ». Nempe voluntas Ecclesiae numquam fuit ritum liturgicum dominicae actioni prorsus assimilare. Descriptionem autem ritus *Ephpheta* sequitur in eodem libro mentio unctionis quam accipiebant competentes ante quam baptisterium ingressi solitam abrenuntiationem pronuntiabant. Quae unctio congruit, ut videtur, cum illa quae secundum ritum romanum in pectore et inter scapulas baptizandi statim post trinam abrenuntiationem fit. Tit., c. 4, n. 36; c. 2, n. 15. In *Libro* vero *de mysteriis* prorsus deest mentio cuiuslibet unctionis ante baptismum agendae.

Ritum quoque *Ephpheta* memorare existimandus est s. Maximus Taurinensis (ob. 465) in iis catechesibus quibus neophytos singillatim docet quid significent ritus qui ante ipsum suum baptismum, in hoc, et sub hunc acti sint. Scribit videlicet *in Tractatu I*, PL, 57, p. 772A-774D: « Imprimis - id est in principio ultimae catechumenorum praeparationis ante ipsum baptismum - certe aures vestras oleo benedictionis oblinivimus, sed ob quam causam secundum traditionem ecclesiasticam ab omnibus catholicis Christi sacerdotibus fiat, agnoscite. Introitus fidei et totius sanctae doctrinae ad animum per aures admittitur, et de auditu intellectus exoritur. Neque enim potest aliquis fidei sacramenta cognoscere, nisi audiat praedicantem, affirmante beato apostolo... Recte ergo illo oleo eius sensus organa sanctificantur, sine quo fides ad animam non potest pervenire. Simulque venturi ad baptismum, ut aures suas ab omni malo et turpi verbo impollutas ad finem usque custodiant, vel detrahentem proximo suo, vel obscena et impu-

dica loquentem quasi surdi non audiant... Ergo adhibita auribus unctio sancta significat, ut omnes extra disciplinam sermones, quasi doctrinae Christi obloquentes, aversentur ac fugiant, seque ad sola Dei verba audienda convertant, quia illito oleo auditum suum Christi eloquiis conservaverunt... Tunc enim aures vere fidelium Christi perficiuntur, quando nihil praeter Christum et ea quae Christi sunt, audire desiderant... Soli autem illi aures audiendi habere dicuntur a Christo qui, cum auribus audiunt, firmiter animo commendant, et quod animo tradiderint, operibus exsequuntur... Vos autem, postquam vestrae aures oleo benedicto sunt illitae, designati estis in numero auditorum sapientum, ut recte retinentes Dei verba, id est quae audistis implentes, in die iudicii audiatis vobis Christum dicentem: *Venite benedicti...* Illud autem non otiose neque absque certa ratione mysterii factum putetis, quod nares quoque vestras oleo benedictionis adunximus. Quod idcirco fieri intellegitur, ut hi qui ad baptismum veniunt admoneantur tanti mysterii sacramentum usque ad mortem custodire, ut, quamdiu spiritum vitae huius naribus suis attrahunt, a Christi Domini nostri cultura et servitio non recedant... Sed adhuc subtilior intellectus in hac narium unctione signatur. Illius enim olei odor, quod in Christi nomine et virtute benedictum est, ad odoratum vos provocat spiritalem, ut non corporis sed mentis sensibus Christum inaestimabili suavitate sentire possitis, et, delectati notitia oris eius, ipsius vestigia subsequentes, dicere valeatis illud quod ad Deum credentium chorus loquitur: *Post te in odorem unguentorum tuorum currimus, Cant.*, 1, 3... Quod etiam in vobis, fratres dilectissimi, cupimus impleri, ut cum ipsi bonum odorem Christi notitiae ceperitis, suavissimus Deo odor ex vitae vestrae sanctitate conscendat ». Et brevius in *Tractatu II*, p. 775AB: « Quid significaret unctio quae, diversis corporis vestri adhibita partibus, diversum intellectum designat, prout Dominus donare dignatus est, interpretati sumus, cum ostenderimus

vos per oleum sanctificationis ad auditum fidei praeparatos et bonum Christi odorem vocatos, ex toto corde abrenuntiandum esse commonitos. Nunc vero de interioribus mysteriis locuturi sumus, quae in ipso sancto fonte celebrata sunt ». Hi autem ritus sunt abrenuntiatio omnibus diaboli pompis atque operibus omnique diabolicae fornicationi, descensus in fontem, professio fidei in sanctissimam Trinitatem, ecclesiam sanctam catholicam, resurrectionem carnis, per interrogationes et responsiones, trina immersio. Nulla vero memoratur unctio ante vel post abrenuntiationem, praeter ipsam aurium et narium unctionem cuius expositionem exhibuimus.

Ad ipsum romanum ritum pertinet *Epistula Ioannis diaconi ad Senarium* (ex. saec. V vel ad ann. 525?). Porro haec ritum *Ephpheta* et unctionem pectoris clarissimis his verbis quae magna e parte cum verbis s. Maximi congruunt, exponit, n. IV-VI, PL, 59, p. 402C-403A: « (Post peracta scrutinia) tanguntur sanctificationis oleo aures eorum (intellege baptizandos), tanguntur et nares. Sed aures ideo, quia per eas ad intellectum fides ingreditur, apostolo dicente: Fides autem per auditum, auditus vero per verbum Dei, *Rom.* 10, 17. Ut quasi quodam sanctificationis muro aures instructae, nihil noxium, nihil quod retro revocare possit admittant. Cum vero tanguntur nares eorum, admonentur sine dubio ut quandiu spiritum vitae huius naribus trahunt, in Dei servitio mandatisque perdurent... Aliud quoque in narium unctione signatur, ut quia illud oleum in nomine benedictum est salvatoris, ad spiritalem eius odorem quadam ineffabili interiores sensus suavitate ducantur, ut delectati cantent: Unguentum effusum est nomen tuum; post odorem unguentorum tuorum curremus, *Cant.*, 1, 2-3. Quo mysterio sensus narium praemunitus, nihil voluptuosum saeculi, nihil quod mentem resolvere queat possit admittere ». Deinde pectus oleo consecrationis perungitur.

Quem initiationis ritum spectent *Canon ad episcopos*

Gallos (s. IV/V) 8, PL, 13, p. 1189; AUGUSTINUS, *In evangelium Ioannis* tractatus 44, 2, PL, 35, p. 1714; s. CAESARIUS ARELATENSIS (543), *Sermo* 52, PL, 52, p. 346C-347A, manifestum non est.

A saeculo VII vero magna documentorum copia nobis praesto est de ritu *Ephpheta* et de unctione sequenti, quorum praecipua atque antiquiora hic coniuncte percensemus.

Documenta liturgica quae ad purum ritum romanum pertinent: 1. *Sacramentarium romanum*, quod gregorianum vocari consuevit, edit. H. LIETZMANN, n. 83, 3 (cfr. edit. K. MOHLBERG, 321, a): « Post hoc (id est post ultimum exorcismum) tangit singulis nares et aures et dicit eis: Effeta. Postea tangit de oleo sancto scapulas et pectus et dicit: Abrenuntias »... 2. *Ordo romanus I*, Suppl., 37, PL, 78, p. 954D-955A: « Ipsa expleta (id est post exorcismum) tangit singulis nares et aures de sputo, et dicit eis: Epheta, quod est adaperire, in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim iudicium Dei. Postea tangit de oleo sancto scapulas et pectus, et dicit: Abrenuntias »...

Purum quoque usum romanum demonstrari ritu baptismatis quem continet ordo *Primitus enim adventum* dubitamus, etsi hic pluribus codicibus exeuntis saeculi VIII servatus est, Ioannem vero Vaticanae basilicae archicantorem primum auctorem habuisse probabiliter existimatur. M. ANDRIEU, *Les « ordines romani » du haut moyen âge*, t. I, p. 10-11. Ritum autem *Ephpheta*, quem solus inter omnes post unctiones pectoris ac dorsi et post ipsas abrenuntiationes ponit, hunc exhibet, edit. C. SILVA-TAROUCA, p. 204: « Inde tangit de saliba oris singulorum nares et aures, et dicit secrete in aures ipsorum: Effeta, quod est adaperire ». Alioquin septem sunt in eodem ritu scrutinia et in tertio agitur « aurium apertio » cum sua trina « traditione ».

Ritum vero gallo-romanum spectant: 1. *Sacramentarium gelasianum*, edit. H. A. WILSON, I, xlii, p. 79: « Inde

tangis ei nares et aures de sputo et dicis ei ad aurem: Effeta, quod est adaperire, in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquavit enim iudicium Dei. Postea vero tangis ei pectus et inter scapulas de oleo exorcizato, et, vocato nomine, singulis dicis: Abrenuntias »... 2. *Ordo romanus VII*, 9, PL, 78, p. 998D: « Ipsa expleta, tanget presbyter singulorum nares et aures de sputo oris sui et dicit uniuscuiusque ad aurem: Effeta quod est adaperire, in odore suavitatis, et reliqua ». Nulla autem est mentio unctionis ante abrenuntiationes neque ipsarum renuntiationum. 3. Sacramentaria gelasiana gregorianisata s. VIII.

4. *Sacramentarium Gothicum*, XXXIV, PL, 72, p. 274 AB: « Ad christianum faciendum, Item collectio. Signo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut sis christianus: oculos, ut videas claritatem Dei; aures, ut audias vocem Domini; nares, ut odores suavitatem Christi; conversus (i. e. terga?), ut confitearis Patrem et Filium et Spiritum sanctum; cor, ut credas Trinitatem inseparabilem. Pax tecum. Per Iesum Christum »... Sequitur fontium benedictio, neque ulla mentio fit, unctionis alicuius ante baptismum agendae.

5. *Sacramentarium Bobbiense*, Ordo baptismi, PL, 72, p. 502B: « Tangis nares, deinde dicis: Effeta, effecta est hostia in odorem suavitatis. Ungis eum de oleo sanctificato dicens: Ungo te de oleo sanctificato, sicut unxit Samuhel David in regem et prophetam. Tangis nares et aures et pectus: Operare creatura olei, operare, ut non lateat hic immundus spiritus ...sed operetur in te virtus Christi »... Sequitur trina abrenuntiatio, fidei professio, baptismus.

Documenta non liturgica sunt: 1. Duae epistulae Alcuini, altera *Ad Oduinum presbyterum*, edit. E. Duemmler, MGH, *Ep. kar. aev.*, t. II, p. 202, altera *Ad monachos Gothiae*, p. 214, quae ambae iisdem verbis ritum *Ephpheta* et sequentem unctionem memorant: « Tanguntur et nares, ut quamdiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret.

Pectus quoque eodem perungitur oleo... Signantur et scapulae »... 2. Epistula Caroli Magni *Ad archiepiscopos* de administratione baptismi, edit. E. Duemmler, MGH, *Ep. kar. aev.*, t. III, p. 242: « Cur catecuminus accipiat salem, quare tangantur nares, pectus ungatur oleo. Cur scapulae signentur, quare pectus et scapulae liniantur ».

3. Responsa archiepiscoporum: Amalarii Trevirensis, PL, 99, p. 897BC (post novissimum exorcismum tanguntur nares et aures de sputo presbyteri, postea tanguntur de oleo sancto scapulae et pectus; sequuntur abrenuntiationes); Leidradi Lugudunensis seu *Liber de sacramento baptismatis*, c. 2, PL, 99, p. 857C-858B (tanguntur aures et nares. « Sciendum tamen quod de hac re in diversis regionibus diversus teneatur usus. Alii namque oleo sancto tangunt catechumenorum aures et nares; alii vero sputo; alii absque sputo et oleo; alii etiam os tangunt oleo, ad exemplum dominicum ». Unguntur deinde catechumeni in pectore et inter scapulas oleo exorcizato, cum abrenuntiant); Magni Senonensis, PL, 102, p. 983AB (tanguntur nares et aures sputo; pectus ungitur sancto oleo, scapulae signantur); Odilberti Mediolanensis, c. 10-12, edit. F. Wiegand, in *Studien zur Geschichte der Theologie und der Kirche*, IV, 1, p. 32-33 (sputo tanguntur aures et nares; sequitur unctio pectoris et scapularum; abrenuntiatio); Anonymi I, edit. Martene, PL, 98, 939B (tanguntur nares et aures sputo; pectus quoque ungitur oleo; signantur et scapulae); Anonymi II, in *Ephemerides liturgicae*, 41 (1927), p. 79-80 (tanguntur et nares; pectus quoque eodem oleo perungitur; signantur et scapulae; Anonymi III, edit. A. E. Burn, in *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, 25 (1904) (tanguntur nares et aures; pectus quoque eodem oleo perungitur; signantur et scapulae); Anonymi V, edit. G. Morin, in *Revue bénédictine*, 22 (1905), p. 513 (tanguntur nares et aures; pectus perungitur sancto oleo; signantur et scapulae). Maxentii Aquileiensis vero epistula, edit E. Duemmler, MGH, *Ep. kar. aev.*, t. II, p. 537-538 de ritu *Ephpheta* plane silet;

mutilae sunt epistulae ANONYMI VI, edit. BALUZE, PL, 98, p. 939D-940 et ANONYMI VII, edit. I. M. HANSSENS, in *Ephemerides liturgicae*, 41 (1927), p. 81-82. 4. THEODULFUS AURELIANENSIS (ob. 821), *Liber de ordine baptismi*, IX, PL, 105, p. 228C-229C (tanguntur de sputo nares et aures; pectus et scapulae tanguntur de oleo) 5. HINCMARUS RHEMENSIS (ob. 882), *Epistula* 18, *De baptismo*, VII, PL, 126, p. 106D-108A (easdem diversas rationes ritum *Ephpheta* agendi memorat quas Leidradus Lugdunensis). 6. AMALARIUS TREVIRENSIS, *Liber officialis*, l. I, c. 23, PL, 105, p. 1040D-1041A (tanguntur nares et aures; tanguntur de oleo sancto scapulae et pectus).

Ex omnibus iis documentis haec deducere possumus, quod ad antiquam rationem ritus *Ephpheta* agendi attinet.

1. Ritus *Ephpheta* saltem inde a saeculo IV constanter in tactu duorum sensuum, aurium scilicet ac narium constitit. Probabile autem non est Ecclesiam nares pro lingua, quam Dominus in sanando surdo muto tetigisse apud *Marcum*, 7, 31-35 narratur, substituisse. Praeter rationem quam supra adduximus, nimium est significationis discrimen inter duas illas corporis partes harumque munera, quam ut altera in alterius locum substituta sit. Os reseritur, vel lingua solvitur locutionis causa, nares aperiuntur, ut aërem et odores hauriant. Si nonnulli sacerdotes, ut affirmant Leidradus Lugdunensis et Hincmarus Rhemensis, pro naribus os baptizandi tangebant, hoc faciebant ut gestum dominicum imitarentur, non quia idem communiore atque antiquiore usu docebantur.

Quod autem in binis Alcuini litteris, in epistula Caroli Magni ad archiepiscopos et in responsis eorum qui Alcuini verba magna e parte descripserant, omissa est mentio aurium, hoc non casu factum esse putamus sed consulto. Alcuino nimirum visum esse censemus cum verbis « Ephpheta, id est adaperire, in odorem suavitatis », parum congruere aurium apertionem. Neque immerito; solutio

enim ritualis romani hodierni, a quo illa sententia puncto in duas partes dividitur, ut recto ordine tactibus duorum sensuum aptetur, non plane historice probabilis apparet.

2. Ordo quo tangendi sunt duo sensus varius erat. Apud s. Ambrosium et s. Maximum, in Epistula Ioannis diaconi priore loco fit tactus aurium, altero narium, quae ratio cum narratione evangelica concordat; in sacramentario gregoriano autem et in gelasianao fit e converso; hunc modum tenent etiam plerique archiepiscopi in sua epistula ad Carolum Magnum; Leidradus Lugdunensis dumtaxat et Odilbertus Mediolanensis priore loco ponunt tactum aurium.

3. De usu salivae in tangendis auribus et naribus silet antiquissimum documentum liturgicum quod certe ad purum ritum romanum spectat, sacramentarium « gregorianum » ab Hadriano papa I exeunte saeculo VIII ad Carolum Magnum missum. Ritus gallo-romanus, teste sacramentario gelasiano, usum salivae iam ante annum 700 admiserat. Fortasse ex illo in ipsum ritum romanum idem usus transiit. Attamen etiam saeculo IX exeunte valde varius erat in hac re modus agendi sacerdotum, ut demonstrant Leidradus Lugdunensis et Hincmarus Rhemensis. Prioribus temporibus tactus aurium ritus *Ephpheta* oleo vel etiam sicco pollice fieri solitus erat.

4. In hodierno ritu romano tactus aurium et narium ab unctione pectoris et dorsi triplici abrenuntiatione baptizandi dividitur. Olim vero in quibusdam ecclesiis abrenuntiatio post hanc unctionem agenda fuit, ita ut eadem unctio tactum aurium et narium, quae oleo fiebat, subsequeretur. An in his ecclesiis tactus et unctio aurium ac narium prior pars fuit unius eiusdemque ritus, cuius altera pars erat unctio pectoris et dorsi? Hanc constitutionem demonstrare videtur descriptio s. Maximi Taurinensis et oratio missalis Gothici. Cum ea congruit quoque modus unctionum quas eodem ordinis baptismalis loco agunt ecclesiae orientales.

Certum igitur est S. Congregationis decretum de omittendo in quibusdam casibus usu salivae in tactu aurium ac narium baptizandi nulli ritui vel caeremoniae singularis alicuius dignitatis vel antiquitatis officere. Evenietne de hac re id quod factum est, verbi gratia, de unctione renum in extrema unctione, ut exceptio sensim et de tacito legitimae auctoritatis consensu regula evadat, seu ut usus salivae prorsus obsolescat?

I. M. Hanssens, S. I.

II

(*AAS* xxxvi [23 febr. 1944] p. 60)

DECRETUM

DE SACRIS OLEIS ANNO MCMXLIII CONFECTIS

Cum in tanta rerum publicarum perturbatione, variis de causis, pluribus in locis olivarum oleum ad Sacrum Chrisma, Catechumenorum atque Infirmorum Oleum conficiendum, congrua quantitate vix haberi possit, Sacra Rituum Congregatio huic difficultati, meliori quo fieri potest modo, occurrere volens, statuit, ut in dioecesibus, ubi novum oleum debita quantitate comparari nequeat, confectis de more ab Episcopis Feria V in Coena Domini, iuxta Pontificale Romanum inter Missarum solemnia Sacris Oleis, vetus Chrisma et Catechumenorum atque Infirmorum Oleum non comburatur, sed Sacri Ministri eodem usque ad consummationem uti pergant, quo exhausto, nova Sacra Olea adhibeant. Praesens autem indultum hoc dumtaxat anno valiturum declarat.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 28 Ianuarii 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus*.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*.

III

(*AAS* XXXVI [20 maii 1944] p. 154)

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

Plures locorum Ordinarii Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII exposuere sacerdotes suarum dioecesium, ob ingravescentes in dies belli causa difficultates, etiam vini penuriam pro sacrosancto Missae sacrificio passuros esse; ideoque Eum supplicibus verbis oraverunt, ut vini parsimoniae meliori quo fieri possit modo consulere dignaretur. Sanctitas porro Sua, in audientia infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationis Praefecto concessa, die 12 Maii 1944, attentis hodiernis peculiaribus rerum adiunctis, iisque perdurantibus, benigne indulget, ut purificationes et ablutiones calicis, quae in Missa, iuxta rubricas, cum vino primum ac postea simul cum aqua peragendae sunt, sola aqua fieri possint iis in locis ubi, iuxta prudens Ordinarii iudicium, vini angustiae hodie habeantur, vel in posterum praevideantur. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Die 12 Maii 1944.

✠ C. Card. SALOTTI, Ep. Praen., Praefectus.

L. ✠ S. A. Carinci, *Secretarius*.

IV

(*AAS* XXXVI [28 iul. 1944] p. 221)

ROMANA

DECLARATIO

DE BENEDICTIONE APOSTOLICA

Quum Pontificale Romanum praescribat ritum et formulam Benedictionis Apostolicae, una cum plenaria indul-

gentia, populo impertiendae post Missarum sollemnia a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, dubium exortum est an ipsi Eminentissimi Patres Cardinales, quoties ipsis contigerit illam impertiri, uti debeant praefato ritu et formula sive in Urbe sive extra Urbem.

Et Sacra Rituum Congregatio proposito dubio respondendum censuit: « Extra Urbem: affirmative. In Urbe vero casus haberi nequit, cum ob Summi Pontificis praesentiam facultas impertiendi Benedictionem Apostolicam nemini tribuatur ».

Facta autem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII horum relatione ab infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto, Sanctitas Sua declarationem huius Sacrae Congregationis approbavit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 Iunii 1944.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., Praefectus.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

19 - S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus

(*AAS* xxxv [25 nov. 1943] p. 369)

PONTIFICIUM OPUS VOCATIONUM SACERDOTALIUM

STATUTA

I

Pontificium Opus Vocationum Sacerdotalium est opus princeps a SSmo Dño Pio Pp. XII constitutum per Apostolicas Litteras motu proprio datas *Cum Nobis*, d. IV Novembris a. MCMXLI [1], ad tuendas, provehendas, iuvandas sacerdotales vocationes.

[1] Textus Apostolic. Litter. *Cum Nobis Sacra Congregatio*

II

Pontificium Opus Vocationum Sacerdotalium suam sedem habet apud Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus.

III

Ad finem, qui praestitutus est, adsequendum Pontificium Opus:

1) curat in primis propagationem verae et clarae notionis de sacerdotii natura, necessitate, excellentia;

2) promovet oblationem Missarum, Communionum, precum, operum poenitentiae et caritatis, ut Deus multas easque optimas vocationes sacerdotales concedat;

3) fovet incrementum Operis quod pro sacerdotalibus vocationibus in Dioecesibus erectum est, et curat ut constituatur ubi nondum constitutum sit.

IV

Ad Pontificium Opus adgregari poterunt societates et adscribi personae.

Societates adgregantur tamquam:

Seminariis et Studiorum Universitatibus praeposita peropportunum fore renuntiaverit Opus primarium Sacerdotalium Vocationum condere, quod sibi proponat in Christifidelibus — omni sane consilio, sed potissimum per diversa in singulis Dioecesibus constituta id genus opera — voluntatem excitare fovendi, tuendi iuvandique Ecclesiasticas Vocationes, rectam de dignitate ac necessitate Catholici Sacerdotii notitiam pervulgare, itemque fideles ex omnibus orbis partibus in communionem precum ac piorum exercitiorum vocare; Nos, motu proprio ac de Apostolicae plenitudine potestatis, Opus, *quod* Pontificium *nominamus,* Vocationum Sacerdotalium *apud eamdem Sacram Congregationem constitutum volumus ac decernimus, addita facultate aggregandi Opera ac personas, quae id postulaverint, simulque omnes Indulgentias et favores spirituales, concessos vel concedendos, ad universos adscriptos extendendi.*

Quod quidem ratum firmumque sit ac permaneat contrariis quibuscumque non obstantibus. (*AAS* XXX III (1941) 479).

« F i l i a l e s »: Opera Dioecesana Vocationum Sacerdotalium.

« A d h a e r e n t e s »: Domus Generalitiae et Provinciales Religiosorum; Instituta, « Consilia Generalia » consociationum catholicarum, et similia, quae fines singularum dioecesium excedant.

Personae, quae dignitate speciali insignitae sint vel maioribus officiis ecclesiasticis fungantur, aut de Sancta Ecclesia bene meritae sint, adscribi possunt directe Pontificio Operi.

V

Pontificium Opus Vocationum Sacerdotalium consecratur Domino Nostro Iesu Christo summo et aeterno Sacerdoti; committitur tutelae maternae B. V. Mariae Reginae Apostolorum et patrocinio S. Ioseph Patroni Ecclesiae universae; colit praecipue Ss. Apostolorum Principes Petrum et Paulum.

Romae, die VIII mensis Septembris, in festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, anno MCMXLIII.

I. Card. Pizzardo, *Praefectus.*

L. ✠ S.

E. Ruffini, *Secretarius.*

NORMAE AD STATUTA EXSEQUENDA

REGIMEN

Romae

Pontificio Operi Vocationum Sacerdotalium praeest Eminentissimus Cardinalis Praefectus Sacrae Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus; vices eius gerit Excellentissimus Secretarius eiusdem Congregationis.

In singulis Dioecesibus

Opus Pontificium nulla in re autonomiam atque libertatem adimit Operibus Dioecesanis, quae propriis legibus continentur et ordinantur.

ADSCRIPTIO

Societatum

Petitio adscriptionis Pontificio Operi pro Societatibus « Filialibus » fit ab Ordinario; pro Societatibus « Adhaerentibus » ab earumdem moderatoribus.

Titulus « Pontificium » iure et facto pertinet ad Opus apud Sacram Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus constitutum. Opus Dioecesanum Vocationum Sacerdotalium, rite adscriptum, vocari potest « Pontificii Operis Vocationum Sacerdotalium Opus Filiale ».

Personarum

Petitio adscriptionis Pontificio Operi pro iis qui in Ecclesia speciali dignitate insigniti sint vel maioribus officiis fungantur, formulis non indiget.

In actu adgregationis, Pontificium Opus tradit Societatibus diploma et personis speciale testimonium.

Omnes adscripti modicam stipem annuam conferunt.

DIVULGANDA DOCTRINA DE SACERDOTIO

Quo melius in dies cognoscatur et magis aestimetur dignitas et necessitas sacerdotii, oportet Societates « Filiales »:

Invitent *sacerdotes* ut ad hoc pertractandum argumentum omnes opportunitates nanciscantur (e. g.: conciones quadragesimales, exercitia spiritualia. supplicationes novendiales, catecheses pro adultis).

Incitent *fideles* ut studeant tum documentis a Sancta Sede datis tum scriptis Sanctorum Patrum et piorum Auctorum de sacerdotio, praesertim vero Litteris Encyclicis Pii Pp. XI *Ad Catholici Sacerdotii* [1].

Foveant in *pueris et adolescentibus* sacerdotii aestimationem et intimum perfectionis christianae desiderium in eisdem alant.

PIAE EXERCITATIONES

Quae sequuntur valde commendantur, ut Deus optimas vocationes ad statum ecclesiasticum concedere dignetur una cum auxiliis necessariis quibus vocationes ipsae ad felicem exitum adducantur:

Quatluor Tempora quae ab Ecclesia iam inde a primis saeculis instituta sunt etiam ut oratione et ieiunio adspirantes ad sacerdotium adiuventur.

Dies sacerdotalis, pium exercitium approbatum per Decretum Sacrae Congregtaionis Rituum (11 Martii 1936) [2] atque peculiaribus indulgentiis a Sacra Paenitentiaria Apostolica ditatum (Decr. 12 Aprilis 1937) [3].

Preces quas Familiae Religiosae *per vices* sine intermissione ad Deum fundant.

Dies doloris, quo thesaurus dolorum inter aegrotos colligatur.

PONTIFICII OPERIS NAVITAS

Quo impensius Opera Dioecesana Vocationum Sacerdotalium floreant atque Consociationum catholicarum studium et adiumentum ad ea ipsa convertantur, Pontificium Opus

---

[1] *Acta Apost. Sedis*, 28 (1936) 5-53.
[2] *Acta Apost. Sedis*, 28 (1936) 240 s.
[3] *Acta Apost. Sedis*, 29 (1937) 285 s.

p r o v i d e t ut *typis* apta edantur *scripta*. Societates autem « Filiales » sollicite iis utentur quae ad ipsas missa fuerint aut ipsis commendata, atque ea pervulgent;

c o n v o c a t *congressus*, sive ordinarios sive solemnes, inter

Delegatos Operum Dioecesanorum.

Directores et socios variarum Societatum quae Pontificio Operi adgregatae sunt,

alias personas quae, iudicio Pontificii Operis vel Operum Dioecesanorum, aptae sint ad adiutricem operam praestandam;

s e r v a t *necessitudinem et rationes* cum Societatibus adgregatis. Opera Dioecesana Vocationum Sacerdotalium certis temporibus ad Pontificium Opus de omnibus quae egerint et consecuta sint, breviter, plene, accurate referant.

FIDELIUM ADIUTORUM ORDINES

Opera Dioecesana Vocationum Sacerdotalium personas adscribendas curant et stipem corrogant ratione quae aptissima iisdem videatur.

Ut Christifideles excitentur ad succurrendum adolescentulis spei bonae et iis qui in sacris Seminariis educantur, utile erit describere socios in plures ordines, e. g.: *bene meritos, benefactores, socios in perpetuum*.

Peculiares coetus constitui possunt:

1) ex *pueris*, qui, etiam nulla oblata stipe, precibus et parvis sacrificiis rem adiuvent;

2) ex *aegrotis*, qui infirmitatis suae aerumnas offerant.

Adscribi poterunt non tantum singuli fideles, sed etiam *communitates religiosae* virorum et mulierum atque *consociationes catholicae* dioecesanae.

DIES FESTI

Festum praecipuum Pontificii Operis est Fer. V in Coena Domini, qua die institutio sacerdotii commemoratur.

Festa specialia sunt:

1) *Sabbatum infra Oct. Ascensionis*: Solemnitas B. V. Mariae Reginae Apostolorum;

2) *Fer. IV infra hebd. II post Oct. Paschae*: Solemnitas S. Ioseph Patroni Ecclesiae universalis;

3) 29 *Iunii*: Solemnitas Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Romae, die VIII mensis Septembris, in festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis, anno MCMXLIII.

I. Card. Pizzardo, *Praefectus.*

L. ✠ S.

E. Ruffini, *Secretarius.*

20 - S. Paenitentiaria Apostolica

(*AAS* xxxvi [20 mai 1944] p. 155)

INSTRUCTIO

CIRCA SACRAMENTALEM ABSOLUTIONEM GENERALI MODO PLURIBUS IMPERTIENDAM

Ut dubia et difficultates removeantur in interpretanda et exsequenda facultate impertiendi in quibusdam rerum adiunctis absolutionem sacramentalem generali formula seu communi absolutione, sine praevia peccatorum confessione a singulis Christifidelibus peracta, Sacra Paenitentiaria opportunum ducit haec quae sequuntur declarare atque edicere:

I. Sacerdotes, licet ad confessiones sacramentales excipiendas adprobati non sint, facultate fruuntur absolvendi generali modo atque una simul:

a) Milites imminenti aut commisso proelio, prout in mortis periculo constitutos, quando, sive prae militum multitudine sive prae temporis angustia, singuli audiri nequeunt.

Si tamen rerum adiuncta eiusmodi sint, ut vel moraliter impossibile, vel admodum difficile videatur milites absolvere imminenti aut commisso proelio, tunc licet eos absolvere statim ac necessarium iudicabitur (cfr. *Responsum* huius S. Paen. Ap., 10 Dec. 1940; *A. A. S.*, 1940, p. 571).

b) Cives et milites instante mortis periculo, durantibus hostilibus incursionibus.

II. Praeter casus in quibus agitur de mortis periculo, non licet sacramentaliter absolvere plures una simul, aut singulos dimidiate tantum confessos, ratione tantum magni concursus paenitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae (cfr. Prop. 59 ex damnatis ab Innocentio XI die 2 Martii 1679): licet vero si accedat alia gravis omnino et urgens necessitas, gravitati praecepti divini integritatis confessionis proportionata, verbi gratia si paenitentes secus nulla sua culpa diu gratia sacramentali et sacra Communione carere cogantur.

Decernere autem si militum aut captivorum aut civium turma in tali necessitate inveniatur, locorum Ordinariis reservatur, ad quos praevie recurrere tenentur Sacerdotes, quoties id possibile sit, ut licite eiusmodi absolutionem impertiant.

III. Absolutiones sacramentales pluribus una simul a Sacerdotibus arbitrio suo impertitae, extra casus de quibus in n. I, vel non obtenta praevia Ordinarii licentia, licet hic adiri potuerit, iuxta dicta in n. II, utpote abusus habendae sunt.

IV. Antequam Sacerdotes sacramentalem absolutionem impertiant, quantum rerum adiuncta permittant, de his quae sequuntur Christifideles commonere debent:

a) Necessarium scilicet esse ut se quisque paeniteat admissorum suorum et a peccatis abstinere proponat. -- Convenit etiam Sacerdotes opportune monere paenitentes, ut contritionis actum externo aliquo modo ostendant, si possibile sit, verbi gratia suum percutiendo pectus.

b) Atque omnino necesse esse ut, qui absolutionem turmatim acceperint, in primo deinceps suscipiendo Paenitentiae Sacramento, gravia singula peccata sua rite confiteantur, quae non antea confessi fuerint.

V. Sacerdotes aperte fideles doceant eos graviter prohiberi, ne, quamvis sibi conscii sint culpae mortalis, nondum in confessione recte accusatae et remissae, et obligatio integre lethalia peccata confitendi urgeat ex lege sive divina sive ecclesiastica, de industria declinent huic obligationi satisfacere, occasionem exspectantes, qua absolutio turmatim detur.

VI. Meminerint vero locorum Ordinarii ut de hisce normis gravissimoque officio tunc Sacerdotes commonefaciant cum iisdem facultatis usum permittant — in peculiaribus rerum adiunctis — sacramentalem absolutionem generali formula una simul impertiendi.

VII. Si tempus suppetat, haec absolutio sueta atque integra formula in plurali numero impertienda est; secus vero haec brevior formula adhiberi potest: « Ego vos absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Facta autem de praemissis relatione Ss.mo D. N. Pio div. Prov. Pp. XII ab infrascripto Cardinali Paenitentiario Maiore, in Audientia diei 18 mensis currentis, idem Ss.mus Dominus Instructionem Sacrae Paenitentiariae benigne adprobavit, confirmavit et publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, e Sacra Paenitentiaria Apostolica, die 25 Martii 1944.

N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Annotationes

Magni quidem momenti haec Instructio eandem attente considerantibus apparebit.

1. Nam ut eius titulus indicat, disciplinam ecclesiasticam aut resumit aut ordinat circa sacramentalem absolutionem generali modo pluribus impertiendam. Quod certe hactenus nusquam factum fuerat, plurimosque casus comprehendit qui, praesertim occasione huius belli, non infrequenter accidisse compertum est; ex cuius solutione maxima utilitas in animarum bonum redundare poterit. Ceterum Instructio generalis est, nec ad tempus belli limitatur; quia principia et practicae deductiones omni tempori et occasioni aptari valent.

In duas partes praecipue dispescitur, nn. I et II distinctas, in quarum prima quaestio est de absolutione in articulo sive periculo mortis; in secunda vero de absolutione generali extra periculum mortis. Numeri III ad VII condiciones respiciunt circa modum absolutionem licite impertiendi.

2. Prima pars doctrinam refert communiter admissam circa absolutionem dandam in periculo mortis eamque militibus applicat. Quotiescumque igitur periculum mortis immineat, « sive rerum adiuncta eiusmodi sint ut vel moraliter impossibile vel admodum difficile videatur milites absolvere imminenti aut commisso proelio, tunc licet eos absolvere statim ac necessarium iudicabitur », communi absolutione, licet singuli audiri nequeant.

Ex paritate autem rationis eadem doctrina applica-

tur civibus et militibus instante mortis periculo, durantibus hostilibus (quibusque non solum aëreis) incursionibus. Hoc ultimum ideo expresse positum arbitror quia perdurante bello periculum, ut plurimum, ex talibus incursionibus evenire poterat. Sed manifestum est eandem doctrinam et praxim applicabilem esse, etiam extra belli tempus, et licet periculum immineat aliis de causis, praeter hostiles incursiones, v. gr. instante terraemotu aut incendio aut naufragio, etc.

Positis his principiis quoad absolutionem generalem in periculo mortis, transit Instructio ad partem magis novam et, sub quibusdam respectibus, maioris momenti; ad absolutionem scilicet dandam aut negandam in casibus in quibus *abest* mortis periculum.

3. Res tota practice regebatur propositione 59 damnata 2 Martii 1679 ab Innocentio XI, et conclusionibus ab Auctoribus inde deductis. Propositio sic sonat: « *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis, verbi gratia, potest contingere in die magnae alicuius festivitatis aut indulgentiae* ». Quae propositio et aliae 64 « *damnatae et prohibitae* (sunt), *sicut iacent,* ut minimum *tamquam* scandalosae *et in praxi perniciosae* ».

Scimus ad absolutionem sacramentalem rite recipiendam necessariam esse confessionem omnium et singulorum peccatorum mortalium post baptismum commissorum, idque *iure divino,* uti aperte docet Conc. Tridentinum (sess. XIV, c. 5 et can. 7). Canon 7 ita ait: « *Si quis dixerit in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia ... etiam occulta ... et circumstantias quae peccati speciem mutant ...; anathema sit* ». (Denz. n. 1209).

Hoc tamen praeceptum, secundum usum et praxim universalem Ecclesiae, non obligat quando physice aut moraliter impossibilis est talis integritas. « Quia tamen,

ait Viva, (Damnat. Thes. theol. Trutina, t. I ad hanc prop., n. I) benignissimus Legislator noluit ad id obligare, ubi detur impotentia moralis, nedum physica, exponendi aliquod peccatum (ita enim Ecclesia universum praeceptum hoc est interpretata) idcirco sufficit tunc dimidiata confessio, exponendo tantum peccata quae citra moralem impossibilitatem seu grave onus exponi possunt ». Quod etiam ex eadem ratione extendi valet ad casum quo nullum peccatum manifestari possit, uti extensum videmus sine contradictione, immo cum approbatione Ecclesiae, ad casum moribundi sensibus destituti, qui nullum confessionis signum, saltem apparenter, dare valeat.

4. Quaestio igitur hic vertitur an, praeter casus a damnata propositione exclusos, dentur alii in quibus liceat absolutionem sine ulla confessione aut ea tantum dimidiata impertiri.

Auctores generatim, dum causas exponunt quae ab integritate confessionis excusant, has vel similes referunt: Extremam necessitatem, defectum loquelae, defectum temporis, periculum vitae confessarii (v. gr., tempore pestis), periculum famae, periculum lapsus seu scandali pro paenitente aut pro confessario, periculum laesionis sigilli (Cfr. Lehmkuhl, edit. 11, II, n. 431).

Ad rem nostram quod attinet, defectus temporis considerandus est. De quo idem Lehmkuhl n. 433, 3) scribit: « Si defectus temporis in unius tantum confessione occurrat ..., audito *aliquo* peccato et dolore excitato, absolutio danda est, quando necessitas absolvendi nunc instat. Si vero de multis agitur..., 1) si periculum in mora est, omnes exhortandi sunt in communi, immo verbis praeeundum est ...: quo facto in communi absolvantur; 2) Quo vero securius singulorum saluti provideatur, omittendum non est singulos ad confessionem admittere et vocare ... ». Sed hoc ultimum supponit adesse tempus eos singillatim admittendi et ad dolorem excitandi; quod est extra hypothesim nostram.

P. Vermeersch edit. 2, L. II, tr. V, tit. III, cap. II, n. 588, N. B), agens de morali impotentia quae a completa confessione excusat, hanc inter alias notat (n. 2): « Ut sit quaedam *necessitas confitendi*, sive ex praecepto annuae confessionis vel communionis ...; sive ex *necessitate communicandi* vel *celebrandi*, ad vitandum scandalum vel notam; sive ex *diuturniore* sacramentorum *carentia*, ut puta ultra mensem; sive ex *magna utilitate spirituali* ... (sed cfr. statim propositionem proscriptam); sive ex *incommodo* manendi *in statu peccati* etiam per unum diem (S. Alph. L. 6, n. 490). De qua dilatione v. inferius.

Affert deinde rationes cur propositio 59 proscripta sit, sc. « tum quia propter modicam dilationem confessionis vel amissam occasionem indulgentiae non tantum damnum accipitur; tum praesertim quia periculum esset ne innumerabiles fierent confessiones dimidiatae propter causam vel praetextum similem ». Quod nempe praeceptum divinum redderet illusorium.

5. « Aliud foret, addit, si diu differri deberet confessio completa, quia, ut post Suárez, (Paen. Disp. 23, sect. 2), Viva in hanc propositionem n. XIV, observat: " Gravissimum incommodum est diu carere gratia sacramentali remissiva peccatorum et auxiliis gratiae ad vitanda peccata in posterum, necnon gratia Eucharistiae, praesertim quia peccatori diu in statu peccati mortalis degenti difficilis est contritio " ».

Signat deinde aliquos casus qui occurrere possunt, « in missionibus exteris (ait) aliter atque in Europa ». At nunc etiam in Europa non infrequentes sunt, atque in multis regionibus aliarum mundi partium, ubi nempe magna est, absolute aut relative, fidelium multitudo, ac sacerdotes pauci vel paucissimi, aut etiam nulli. Pone igitur aliquem sacerdotem per illas regiones transire, in quibus nonnisi per brevissimum tempus manere queat; et ad eum accurrant fideles, fortasse postquam diu sacra-

mentis caruere, et velint sacramentorum beneficio saltem ea vice frui. Pone magnum concentrationis, uti nunc dicitur, campum, ad quem permittatur sacerdoti per paucas horas sese conferre. Pone etiam in quibusdam regionibus dari missiones populares cum magno hominum concursu et commotione, at in quibus sacerdotes qui adesse possunt pauci omnino sint et impares ad omnium confessiones audiendas. Accidit non raro in his missionibus ut pars alicuius familiae, quae longe a centro distat ad illud confluat sacramenta receptura ut statim in domum redeat ad hoc ut reliqua familiae pars ad missionem vicissim ire possit. Scio de casu in quo missionarius, per decem et septem horas unoquoque die ad confessionale sedebat, quin tamen omnium confessiones ab ipso et sociis audiri valerent.

Patet, in his et similibus casibus, qui certe impossibiles aut fictitii non sunt, longissime nos distare ab adiunctis in damnata propositione contentis.

« Igitur, quaerit P. Vermeersch l. c., in adiunctis ubi omnes complete audiri nequeunt, praestatne omnes dimidiate audire, an vero audire complete quotquot possunt, ceteros autem excitare ad actum contritionis, eosque post monitionem de permanente obligatione confessionis postea integre faciendae, obtento signo paenitentiae, generali absolutione donare? de hac re (concludit prudenter) generalem regulam statuere nostrum non est ... ».

6. Atque in hoc stat praecipue pondus Instructionis S. Paenitentiariae, quae, attentissime perspectis omnibus circumstantiis, iis maxime quae occasione immanis huius belli manifestius apparuerunt, sua auctoritate et approbante D. N. Pio Pp. XII, edixit licere, omnes una simul, aut singulos dimidiate tantum confessos absolvere « si accedat alia (diversa nempe a sola magni concursus in die magnae festivitatis aut indulgentiae) gravis omnino et urgens necessitas, gravitati praecepti divini integrita-

tis confessionis proportionata, verbi gratia si paenitentes — secus nulla sua culpa — diu gratia sacramentali et sacra Communione carere cogantur ».

7. Cum in hoc n. II ponatur tamquam gravis omnino et urgens necessitas in qua absolutio dari potest, incompleta aut nulla confessione praemissa, « si paenitentes — secus sine ulla culpa — *diu* gratia sacramentali et sacra Communione carere cogantur », iure quaeri potest quid veniat sub particula illa « diu ».

De hac quaestione agunt generatim AA. quando sermo est de paenitente qui, habens peccata reservata et non reservata, nec potest adire Superiorem propter reservata, utrum in tali casu possit paenitens imcomplete confiteri, tacendo peccatum reservatum a quo tunc nequit directe absolvi (antequam vigeret disciplina canonis 2254).

Ad quod respondet Viva (Trut. in hanc proposition. n. XVI) hanc doctrinam veram esse, si *longa* temporis mora interiicienda est. Et inferius: « Inquiritur hic quanta debeat esse haec temporis mora ...? Quamvis Mendoza ... docuerit sufficere spatium unius noctis, quia potest qualibet nocte periculum mortis et aeternae damnationis imminere, juxta illud Christi Domini (Luc. 12): Stulte hac nocte animam tuam repetent a te: communissime tamen hanc sententiam reiiciunt, eo quod pariter posset sufficere hora, quia qualibet etiam hora potest huiusmodi periculum imminere. Unde docent communiter spatium hoc temporis arbitrio prudentis viri decernendum, attentis circumstantiis personae et impotentiae adeundi superiorem ».

S. Alphonsus, agens de casu in quo aliquod peccatum nequeat confessario manifestari quin reveletur complex, ait nihilominus manifestari deberi. « Tenetur vero paenitens, addit (L. VI, tr. IV, n. 489) quando commode potest, alium petere confessarium, cui incognita sit persona complicis, ut eius fama servetur ». Et n. 480 inter causas excusantes ab hac obligatione hanc quoque nume-

rat: « Si quis existeret in peccato mortali et deberet expectare ultra biduum, ut Suárez ... Sed mihi videtur durum esse ei qui est in mortali manere sine absolutione etiam per diem ... »

Hanc doctrinam memorat P. Vermeersch inter causas ob quas licitum esset incomplete confiteri (De Paen. n. 588, N. B.); at eam deinde explicat, agens de propositione 59 damnata; et concludit: « Exceptio autem a generali lege integrae confessionis omnino rara manere debet.

Negari non potest AA., generatim affirmare causam esse sufficientem ut quis excusetur ab integritate confessionis si « alias *diutius* (ultra triduum, immo per unum diem) cum periculo mortis et aeternae salutis in statu peccati manere debeat (Noldin, De Poen., n. 286). Neque paenitentem considerant iam in periculo mortis constitutum, sed solum in adiunctis ordinariis in quibus certe potest quis inopinato mori, cum nesciamus diem neque horam.

Quomodo vero haec assertio cum propositione damnata cohaereat, non clare apparet. In ea enim evidenter supponitur non sufficere brevem dilationem ut quis incomplete confessus absolvi queat; ut si, propter magnum paenitentium concursum, deberet confessionem differre ad unum aut duos dies. Si enim haec parva dilatio sufficeret, nullus esset sensus propositionis damnatae, saltem relate ad magnum concursum.

Certe, si huic causae adiiceretur periculum magis aut minus probabile (non solum possibile), mortis, nullum esset dubium quin possit peccator statim absolvi. In ordinariis vero circumstantiis censemus nullam aliam regulam statui posse diversam ab ea quam superius indicavit Viva, sc. « spatium hoc temporis arbitrio prudentis viri decernendum ». Et ita accidere potest ut non modo spatium unius anni, sed etiam sex mensium, immo, unius mensis, et etiam minus sufficiens iudicetur.

8. Cum autem de re tam gravi agatur, monet deinde S. Paenitentiaria reservari locorum Ordinariis decernere si reapse milites aut captivi aut civium turma in tali necessitate inveniantur. Declarat tamen expressis verbis Instructio sacerdotes debere praevie ad loci Ordinarium recurrere ut ipse iudicium ferat de talibus condicionibus, « quoties id possibile sit » et praeterea non ut valide sed « ut licite eiusmodi absolutionem impertiant ».

Ideo etiam in n. III damnat tamquam abusum absolutiones impertitas extra casus de quibus in n. I, in quo sermo est de periculo mortis, aut non obtenta praevia Ordinarii licentia, de qua in n. II, « licet hic adiri potuerit ».

9. Ad n. IV id solum observandum venit sc.: ad *a*) necessarium esse actum saltem attritionis ut culpae absolutione deleantur. Caute dein monet Instructio *convenire*, sc. opportunum esse, non vero omnino necessarium, ut sacerdotes moneant paenitentes ut contritionis actum externo aliquo modo ostendant, *si possibile sit*: saepe enim id ne possibile quidem erit, v. gr. si quaestio est de absolvenda magna multitudine, quorum aliqui nequidem a sacerdote videri possunt.

Ad *b*): Necessarium certe esse ut paenitentes sic turmatim aut incomplete confessi gravia peccata deinde confiteantur, quae non antea confessi fuerint. Additur vero: « in primo deinceps suscipiendo Paenitentiae Sacramento » non vero, quamprimum poterit; quia revera talis obligatio non urget nisi quando, ex lege divina aut ecclesiastica, alia confessio instituenda sit.

10. Statim vero, n. V cavetur periculo ne fideles, attracti facilitate recipiendi absolutionem sine confessione, *de industria* hanc obligationem declinent, exspectantes occasionem, qua absolutio turmatim detur, licet rei peccati mortalis fuerint et urgeat praeceptum divinum sive ecclesiasticum confessionem instituendi. Additur vero: « *de industria* », quia nempe sola *praevisio* futurae abso-

lutionis collective dandae non prae se fert praeceptum confessionis statim faciendae, quando aliunde non detur obligatio.

11. In n. VI monentur Ordinarii ut de his omnibus regulis et cautionibus commonefaciant sacerdotes quibus huius facultatis usum permittant. Unde apparet supponi in his normis sacerdotes praeditos esse debere facultate suorum Ordinariorum ad confessiones audiendas, extra periculum mortis.

Quid autem si in aliquo ex his casibus praevideatur paenitens in periculo mortis futurus? Poteritne tunc sacerdos simplex eum absolvere? Censemus negative respondendum pro casibus ordinariis, in quibus nempe tale mortis periculum sit mere futurum et potius possibile quam probabile; affirmative autem si vere probabile sit; v. c., ante navigationem periculosam, in hostili exercituum incursione, in qua multi cives necari solent, &. Milites autem quicumque in statu bellicae convocationis seu mobilizationis constituti semper absolvi possunt, etiam a sacerdote simplici, quia nempe de facto aequiparari possunt iis qui versantur in periculo mortis, ex declaratione S. Paenit. (Cfr. *AAS*, VII, p. 282).

12. N. VII indicatur formula ad absolutionem impertiendam. Si tempus suppetit, adhibeatur formula integra, in numero plurali (nam supponuntur multi absolvendi); secus, formula brevior, prout adest in Rituali (tit. III, c. II in fine), ubi additur verbum « Amen ».

I. M. Restrepo, S. I.

21 - Pontificia Commissio ad codicis canones authentice interpretandos

(*AAS* XXXVI [14 mart. 1944] p. 94)

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. — DE DENUNTIATIONE NULLITATIS MATRIMONII

D. An coniuges inhabiles ad accusandum matrimonium qui, iuxta canonem 1971 § 2 et interpretationem die 17 Februarii 1930, ius exercere velint denuntiandi nullitatem matrimonii, teneantur adire Ordinarium vel promotorem iustitiae tribunalis competentis ad videndum de causa nullitatis sui matrimonii ad normam canonis 1964, an possint etiam adire alium Ordinarium vel alium promotorem iustitiae.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

II. — DE DECLARATIONE NULLITATIS MATRIMONII

D. I. Utrum *casus excepti* canonis 1990 sint taxative, an demonstrative enunciati.

II. Utrum processus, de quo in canone 1990, sit ordinis iudicialis, an administrativi.

III. An nomine *Ordinarii,* de quo in canone 1990, veniat Vicarius generalis, saltem de speciali mandato Episcopi.

IV. Utrum sub verbis: *iudex secundae instantiae,* de quibus in canonibus 1991 et 1992, veniat tantum Episcopus, an etiam Officialis.

R. Ad I et II. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 6 mensis Decembris, a. 1943.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I

Accusatio matrimonii, i. e. impugnatio validitatis matrimonii iam contracti potest solummodo fieri apud auctoritatem ecclesiasticam *competentem*, cum iudex vel tribunal, antequam causam aliquam suscipiat, debeat accurate perpendere utrum res sit suae competentiae necne (c. 1709 § 1). Quoties vero certo constet tum de competentia iudicis vel tribunalis tum de iure actoris ad agendum causa delata debet suscipi.

Vi canonis 1971 § 1 iure accusandi matrimonium non gaudent nisi coniuges et promotor iustitiae, et quidem in solis casibus in quibus adimpleantur condiciones in utroque numero eiusdem paragraphi descriptae. Omnibus tamen, ipsis coniugibus culpabilibus non exclusis, conceditur ex praescripto paragraphi secundae eiusdem canonis ius denunciandi matrimonium, i. e. facultas certiorem faciendi Ordinarium vel promotorem iustitiae de nullitate alicuius matrimonii coram Ecclesia contracti. Promotor iustitiae, accepta denunciatione sive directe sive per Ordinarium, cuius erit denunciationes sibi factas ad promotorem deferre, instituet actionem ex officio, quoties

bonum publicum, iudicio Ordinarii, id revera postulare videatur.

Nunc vero in casu denunciationis quaeri potest apud quem ea sit facienda. Responsum Pontificiae Commissionis, de quo agimus, respicit solos coniuges culpabiles, qui, iure accusandi matrimonium privati, velint illud legitimo Superiori denunciare. Hi coniuges, culpabiles ex supposito, gaudentne iure denunciandi apud quamlibet Curiam dioecesanam vel potius tenentur adire aliquam ex iis quae iuxta c. 1964 sint competentes ad instituendum iudicium de nullitate sui matrimonii? Authentico responso statuitur, et quidem rectissime, coniuges culpabiles ibi solum posse uti iure denunciandi ubi ad normam c. 1964 nullitas sui matrimonii valeat disceptari.

Id autem recta ratio omnino exigere videtur. Denunciatio enim per se illuc tendit, ut auctoritas ecclesiastica de re certior facta edicat, omnibus rite perpensis, utrum bonum publicum postulet necne instituere ex officio actionem iudicialem contra validitatem matrimonii denunciati. Si bonum publicum de facto id requirere videatur, poterit ilico promotor iustitiae actionem instituere coram tribunali dioecesano, quod ex dictis competens esse debet ad rem controversam iudicialiter dirimendam. Si vero denunciatio fieri posset apud Ordinarium vel promotorem Curiae non competentis ad *accusationem* recipiendam, tunc ea, quoties iudicaretur actionem institui debere, transmittenda esset ad aliam Curiam, quae esset competens vi c. 1964. In hac autem promotor iustitiae deberet vel fidere iudicio alieno circa necessitatem accusandi matrimonium denunciatum vel incipere denuo examinare per se ipsum causam propositam. Cum primum minus conforme rationi videatur constringeretur enim qui sustinere debet actionem ad acceptandum iudicium alienum circa eiusdem necessitatem alterum vero inutile dispendium et laboris et temporis secum ferat, omnino congruum est ut coniuges culpabiles iam inde ab initio ibi

denunciationem faciant ubi causa sui matrimonii possit iudicialiter usque ad exitum perduci.

Nisi quis asserere voluerit ipsam denunciationem constituere posse iam titulum sufficientem ad tribuendam competentiam iudicialem Curiae apud quam ea facta fuerit. Id autem non modo aperte contradiceret praescriptis canonis 1964, in quo habetur taxativa enumeratio titulorum circa competentiam tribunalium ad causas matrimoniales cognoscendas, sed etiam concederet aliquid prorsus inauditum coniugibus culpabilibus, qui in hac hypothesi possent ope denunciationis, in loco sibi favorabiliore exhibitae, determinare ad sua libita Curiam apud quam dein causa sui matrimonii iudicialiter tractaretur. Quo nihil absurdius; nam canon 1971 intendit potius restringere libertatem coniugum culpabilium.

Ceterum in Instructione [1] S. C. de Sacramentis d. 15 augusti 1936 expressis verbis dicebatur coniugem inhabilem ad accusandum suum matrimonium posse eiusdem matrimonii nullitatem denunciare vel Ordinario vel promotori iustitiae *tribunalis competentis;* ex contextu vero clare apparet agi de tribunali competenti ad causam iudicialiter cognoscendam vi canonis 1964.

Quae exposita sunt valent de coniugibus culpabilibus; quid vero dicendum de reliquis omnibus quibus fas est denunciare nullitatem matrimonii? Etiam ii hortandi sunt, ut nullo gravi incommodo intercedente denunciationem faciant apud Curiam competentem ad videndum de causa nullitatis, quo facilius posset institui processus in casu necessitatis. Sed si grave aliquod impedimentum adesset, satis officio caritatis facerent, si id in nonnullis adiunctis existat, denunciationem exhibentes apud Curiam propriae dioecesis. Demum si denunciatio fiat a coniugibus culpabilibus apud Curiam competentem solo titulo quasi-domi-

[1] *AAS.* XXVIII, 313; *Period.* XXV, 142; cfr. art. 37 § 4.
[2] *AAS* XXII, 168; *Period.* XIX, 248.

cilii, promotor iustitiae, antequam instituat actionem iudicialem, observet necesse est quae edicuntur in Instruc.[2] S. C. de Sacram. d. 23 dec. 1929.

II

In exponendo canone 1990 solebant proponi ab auctoribus aliquae quaestiones non levis momenti. Quaerebatur in primis an enumeratio impedimentorum dirimentium ibidem facta taxativa esset vel potius demonstrativa, ita ut liceret processum summarium adhibere, quoties adesset impedimentum dirimens *quodcumque* de cuius existentia ex certo et authentico documento, nulli contradictioni vel exceptioni obnoxio, constare posset. Plerique auctores[3] asserebant non admitti casum exceptum, nisi ageretur de impedimento dirimente expresse memorato in c. 1990. Non deerant tamen qui iudicarent adesse haud leves rationes ad instituendum processum summarium, in iisdem adiunctis descriptis in canone, etiamsi ageretur de aliis impedimentis[4].

Nunc Pontificia Commissio declarat casus exceptos in hoc canone taxative esse enunciatos. Revera hunc sensum quasi imponere videbatur longa et accurata enumeratio impedimentorum dirimentium, quae casui excepto locum dare possent; secus ad rem integre et clare exprimendam sufficiens fuisset dicere casum exceptum dari quoties ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de exsistentia impedimenti dirimentis, ut disparitatis cultus, ordinis etc. Atque hac formula breviore expressa fuisset clarius illa maxima extensio, quam habuisset c. 1990 quoad impedi-

[3] De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 702bis; Gasparri, *Tractatus canonicus de matrimonio*, II, n. 1283; Verm.-Creusen, *Epitome i. c.* III, n. 296; Vlaming, *Praelectiones iuris matrimonii*, II, n. 803,b; Wernz-Vidal, *Ius matrimoniale*, V, n. 704.

[4] Cappello, *De Sacramentis*, III, n. 891; *Ius Pontificium*, XII, 108; Linneborn, *Grundriss des Eherechts*, 471, not. 2.

menta dirimentia in hypothesi demonstrativae enunciationis. Insuper ex natura impedimentorum, quae in longa enumeratione accurate seliguntur, apparet tantum respici casus in quibus authenticum documentum generatim absque difficultate haberi potest; haec enim impedimenta sunt natura sua publica, de quibus documentum servari solet in archivis ecclesiasticis. Demum modus loquendi adhibitus in decretis S. Officii d. 5 iun. 1889 et d. 27 mart. 1901 clarissime prodit casus ibi taxative enumerari [5]; proinde etiam in c. 1990, qui evidenter trahit suam originem ex citatis decretis, idem sensus servandus erit, nisi ex contextu aliud constet. Verbis autem in c. 1990 adhibitis sensum antiquorum decretorum S. Officii non mutari sed potius omnino confirmari in comperto est.

Sane, non est inclusum in enumeratione impedimentum aetatis quod eundem characterem induere videtur. Cuius rei ratio fortasse in eo reponenda est quod in regionibus, in quibus adsunt matrimonia invalide celebrata ob huiusmodi impedimenti exsistentiam, haud facile inveniantur documenta certa et authentica de die nativitatis [6]

Si iam quaeratur cur in c. 1990, contra ac in citato decreto S. Officii, nulla mentio fiat de defectu formae, responderi potest legislatorem aperte prodere mentem concedendi hunc favorem processus summarii illis solis matrimoniis, quorum validitati obstabat aliquod impedimentum dirimens exsistens iam ante ipsam celebrationem, non au-

---

[5] *Quando agitur* de impedimento disparitatis cultus et evidenter constat unam partem esse baptizatam et alteram non fuisse baptizatam; *quando agitur* de impedimento ligaminis et certo constat primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere; *quando denique agitur* de consanguinitate aut affinitate ex copula licita, aut etiam de cognatione spirituali vel de impedimento clandestinitatis ... Cfr. *Fontes i. c.* IV, p. 447.

Provisum per decretum S. R. et U. Inquisitionis 5 iunii 1889, quod intelligendum est *tantum* de causis in quibus certo et evidenter constet de impedimentis de *quibus* agitur. *Fontes i. c.* IV, p. 532.

[6] Payen, *De Matrimonio*, III, n. 2721.

tem aliis quae essent invalida ob aliquod vitium substantiale intercedens in ipso actu celebrationis sive ex parte consensus sive ex parte formae canonicae, in quibus generatim vel pervicax malitia vel summa incuria inveniri solet.

Convenit quidem processus stricte iudiciales, quantum fieri possit, evitare; attamen etiam huic rei, etsi enumeratio impedimentorum facta in c. 1990 sit taxativa, saltem in genere sufficienter esse provisum asseri posse videtur, cum facta notoria vi c. 1747 non indigeant probatione et sic processus ordinarii in casibus evidentibus facile celeriterque expediri possint. Nec memorata utilitas vitandi processus stricte iudiciales tanta dicenda est ut generali lege omnibus casibus possibilibus provideri oporteat.

Quaerebatur ulterius an processus instituendus ad normam c. 1990 esset ordinis iudicialis vel potius administrativi. Fatendum est plerosque auctores nuper citatos favere suo modo loquendi sententiae, quae asserit huiusmodi processum esse ordinis administrativi. Inter eos vero, qui expresse tractant vel tangunt hanc quaestionem, alii tenent fusiusque exponunt praedictum processum esse ordinis iudicialis [7], alii simpliciter asserunt esse ordinis administrativi [8]. Bene indicat Creusen difficultates moveri solitas contra argumenta adducta ab asserentibus characterem iudicialem huiusmodi processus [9].

Pontificia Commissio declarat processum, de quo in c. 1990, esse ordinis iudicialis. Sane, iam ex ipso loco quem citatus canon occupat in Codice videretur deducendum agi de re ordinis iudicialis, nisi aliud evidenter constet; invenitur enim in sectione cuius titulus generalis sic sonat: « De peculiaribus normis in certis quibusdam *iudiciis* servandis ». Contrarium vero non constare

---

[7] Noval, *De Processibus*, I, n. 873; Triebs, *Periodica*, xx, 93*.
[8] Chelodi, *Ius matrimoniale*, n. 180.
[9] *Epitome i. c.* III, n. 297.

sed potius praedictam praesumptionem confirmari ex cc. 1990-1992 patet ilico eos attentius consideranti. Praetermittuntur utique sollemnitates in praecedentibus canonibus pro iudiciis ordinariis recensitae, sed simul exiguntur ad declarandam matrimonii nullitatem et interventus defensoris vinculi et citatio partium; aliis verbis retinentur elementa quae ex una parte non inveniuntur in actibus ordinis administrativi et ex alia sufficere videntur ad characterem iudicialem huic declarationi imprimendum. In probationibus colligendis ob certitudinem aliunde partam iure receditur a via ordinaria. Opportune dicitur ergo in art. 227 citatae Instr. Ordinarium, *iudicem* agentem citatis semper partibus iisque auditis posse matrimonii nullitatem declarare sententia, rationibus breviter adductis in iure et facto.

Praeterea si defensor vinculi dissentiat a sententia prolata ab Ordinario, provocare tenetur ad *iudicem secundae instantiae;* qui decernet eodem modo de quo in c. 1990 utrum sententia data confirmanda sit vel potius ad *ordinarium tramitem iuris* procedendum. Cum adversus decreta Ordinariorum recursus non ad iudicem secundae instantiae sed ad solas Congregationes Romanas detur, patet agi hoc loco de actu diversi ordinis. Qualis sit hic ordo satis indicant, ut opinor, duae illae locutiones in his canonibus adhibitae, scilicet: « ad iudicem secundae instantiae » « iudex alterius instantiae », quae potestatem iudicialem sonare videntur; ergo etiam primus actus positus ab Ordinario erit iuxta principia generalia collocandus in eodem ordine, scilicet iudiciali. Demum idem confirmatur ex eo quod secundum praescripta contenta in aliis locis Codicis non deferuntur ab una Curia dioecesana in aliam nisi res iudicialiter decisae. Specialitas ergo processus instituti ad normam canonum 1990-1992 tota est in eo quod procedatur non ad ordinarium sed ad extraordinarium tramitem *iuris*.

Ex dictis sequitur Ordinarii nomine non venire hoc

loco omnes qui in c. 198 § 1 recensentur; excluduntur enim certo non modo Superiores maiores religionum clericalium exemptarum sed etiam Vicarii Generales qua tales. Eodem modo nec Officialis et consequenter nec Vicarius Generalis, qui forte iuxta licentiam concessam in c. 1573 § 1 sit etiam Officialis, possunt hoc loco comprehendi sub nomine Ordinarii. Immo mandatum speciale Vicario Generali forte datum in universum ab Episcopo, sc. pro omnibus rebus ad quas requiratur ex iure, non potest extendi ad casum exceptum c. 1990, cum illud intelligi debeat de solis actibus ordinis administrativi.

Itaque vi canonum 1990-1992 processus summarius in re matrimoniali, contra ac quod suadetur pro aliis causis in c. 1578, expediri debet ab ipso Ordinario; et sic restringitur libertas generalis exercendi potestatem iudiciariam per se vel per alios, cum Ordinario non nisi in casu absentiae vel alius legitimi impedimenti liceat deferre ad Officialem huiusmodi causas (art. 228). Proinde ad delegationem dandam Officiali minime sufficit quod non velit Ordinarius, sed requiritur ut non possit dirimere per se rem, quo in casu dabit Officiali mandatum speciale. Posset utique Ordinarius conferre hoc mandatum speciale alii sacerdoti, sed id generatim minus convenit, tum quia in re iudiciaria persona qualificata in dioecesi est Officialis tum quia casus exceptus, antequam deferatur Ordinario, iam examinandus est accurate ab ipso Officiali (art. 226). Quis alius, Ordinario legitime impedito, poterit aptius rem dirimere?

Demum declarat Commissio Codicis nomine iudicis secundae instantiae venire in cc. 1991 et 1992 tam Episcopum quam Officialem, prout iam docebant generatim auctores.

PH. AGUIRRE, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

22 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae *Pro titulo privilegiisque,* 20 iun. 1943, quibus templum in honorem s. Francisci Assisiensis Palmae inter fines Maioricensis dioecesis Deo dicatum privilegiis basilicae minoris honestatur (*AAS* xxxvi [28 iun. 1944] p. 205-206).

B — Litterae apostolicae *Archipresbyteralis ecclesiae,* 11 oct. 1943, quibus loci « Susegana » nuncupati intra fines Victoriensis Venetorum dioecesis B. V. Maria titulo « Auxilium christianorum » patrona primaria, et s. Sebastianus martyr ac s. Antonius Patavinus confessor patroni secundarii proclamantur (*AAS* xxxvi [20 mai 1944] p. 144-145).

C — Constitutio apostolica *Si qua in catholico,* 18 dec. 1943, qua ab archidioecesi S. Salvatoris in America, in republica Salvador, territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur et constituitur dioecesis « S. Vincentii » nuncupanda, ipsi metropolitanae ecclesiae S. Salvatoris in America suffraganea (*AAS* xxxvi [28 iun. 1944] p. 201-204).

D — Constitutio apostolica, *Melitensem ecclesiam,* 1 ian. 1944, qua cathedralis ecclesia Melitensis in metropolitanam evehitur, et nova constituitur provincia ecclesiastica « Melitensis » (*AAS* xxxvi [26 iun. 1944] p. 161-163).

E — Constitutio apostolica *Inter anxietudines,* 12 ian. 1944, qua praefectura apostolica De Shuntehfu in vicariatum apostolicum extollitur (*AAS* xxxvi [28 iun. 1944] p. 204-205).

F — Constitutio apostolica *Impensum quo flagramus,* 14 ian. 1944, quo vicariatus apostolicus De Yukon et Prince Rupert dismembratur, et duo exinde vicariatus « De Whitehorse » et « De Prince Rupert » eriguntur (*AAS* xxxvi [14 aug. 1944] p. 233-234).

G — Constitutio apostolica *Vigil Campinensis,* 26 febr. 1944, qua a dioecesi Campinensi territorii pars distrahitur, et nova exinde dioecesis Piracicabensis erigitur, metropolitanae ecclesiae S. Pauli in Brasilia suffraganea (*AAS* xxxvi [14 aug. 1944] p. 235-237).

H — Epistula *Cum haud ita pridem*, 28 febr. 1944, ad Em.mum P. D. Henricum, episcopum Sabinensem et Mandelensem, S. R. E. Cardinalem Sibilia, sexagesimum ab initio sacerdotio annum feliciter explentem (*AAS* xxxvi [26 iun. 1944] p. 163-164).

I — Allocutio 12 mart. 1944 a Pio Papa XII habita coram christifidelibus ob aerumnas belli in Urbem profugis ceterisque de populo in foro Sancti Petri in Vaticano providentissimo Patri conclamantibus (*AAS* xxxvi [20 apr. 1944] p. 97-100).

K — Epistula *Primo exeunte saeculo*, 20 mart. 1944, ad Rev.mum D. Anscharium Joliet, protonotarium apostolicum, Pontificii Belgarum collegii Urbani rectorem, primo exeunte saeculo ab eodem collegio condito (*AAS* xxxvi [26 iun. 1944] p. 164-165).

L — Litterae encyclicae *Orientalis Ecclesiae*, 9 apr. 1944, ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum apostolica Sede habentes, de s. Cyrillo Alexandrino, saeculo exeunte quinto decimo a piissimo eius obitu (*AAS* xxxvi [20 mai 1944] p. 129-144).

M — Epistula *Quocumque oculos*, 24 apr. 1944, Ad Em.mum P. D. Aloisium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Maglione, a publicis Ecclesiae negotiis, qua supplicationes iterum indicuntur ad populorum pacem conciliandam (*AAS* xxxvi [20 mai 1944] p. 145-147).

N — Epistula *Omnia profecto*, 28 mai 1944, ad Em.mum P. D. Emmanuelem tit. Ss. Marcellini et Petri S. R. E. Presbyterum Cardinalem Conçalves Cerejeira, patriarcham Ulyssiponensem, quam deputat Legatum ad consecrandam novam aedem cathedralem in urbe « Lourençco Marques » (*AAS* xxxvi [22 sept. 1944] p. 259-260).

O — Allocutio 2 iun. 1944, ad Em.mos PP. DD. Cardinales in festo s. Eugenii I Pp. Beatissimo Patri fausta ominantes (*AAS* xxxvi [26 iun. 1944] p. 156-175).

P — Epistula *Cum proxime exeat*, 16 iun. 1944, ad Rev.mum P. Norbertum de Boynes, Societatis Iesu vicarium generalem necnon sodalitatis a Precationis Apostolatu moderatorem, saeculo exeunte ab eiusdem sodalitatis constitutione (*AAS* xxxvi [14 aug. 1944] p. 238-243).

Q — Allocutio 24 iun. 1944, a Summo Pontifice habita adstantibus Em.mo P. D. Petro Cardinali Fumasoni Biondi, S. Congregationis de Propaganda Fide praefecto, necnon Exc.mo P. D. Praeside ceterisque Rev.mis praesulibus atque officialibus

pontificiorum operum missionalium Romae coadunatis (*AAS* XXXVI [28 iul. 1944] p. 207-211).

R — Epistula *Quattuor abhinc annos*, 4 aug. 1944, ad Em.mum P. D. HENRICUM S. R. E. Cardinalem GASPARRI, episcopum Veliternum, supremi tribunalis Signaturae Apostolicae praefectum, dena lustra ab inito sacerdotio explentem (*AAS* XXXVI [22 sept. 1944] p. 260-261).

S — Allocutio 13 aug. 1944, qua Summus Pontifex respondit humanissimis verbis quibus Exc.mus Vir CAROLUS ARANGO VÉLEZ, qua Columbiae Orator extra ordinem liberis cum mandatis, litteras publicas porrexit (*AAS* XXXVI [22 sept. 1944] p. 262-263).

T — Allocutio 16 aug. 1944, qua Summus Pontifex respondit humanissimis verbis quibus Exc.mus Vir MARCUS W. VAN WEEDE, qua Neerlandiae Legatus extra ordinem liberis cum mandatis, litteras publicas porrexit (*AAS* XXXVI [22 sept. 1944] p. 264-265).

U — Nuntius radiophonicus 1 sept. 1944, a Beatissimo Patre quinto vertente anno ab inito praesenti bello orbi universo datus (*AAS* XXXVI [22 sept. 1944] p. 249-258).

23 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Notificatio 22 apr. 1944, de indulgentiis lucrandis recitatione Salutationis angelicae iuxta textum in ritibus orientalibus usurpatum (*AAS* XXXVI [14 aug. 1944] p. 245).

24 - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali

Decretum 12 mai 1944, quo pars praefecturae apostolicae de Pilcomayo (Paraguay) ab eadem praefectura segregatur et finitimo vicariatui apostolico de Chaco (Bolivia) adnectitur (*AAS* XXXVI [26 iun. 1944] p. 178).

25 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonisationis

1. *Cameracen.* Decretum 28 ian. 1944, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae, in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servae

Dei Ludovicae Nicolle e Tertio ordine S. Dominici, fundatricis Congregationis Humilium Filiarum S. Cordis (*AAS* xxxvi [20 mai 1944] p. 149-151).

2. *Neapolitana.* Decretum 27 febr. 1944, Super dubio: An constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate cum in Deum, tum in proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque annexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis venerabilis servi Dei Placidi Baccher, sacerdotis saecularis e Tertio ordine S. Dominici (*AAS* xxxvi [20 mai 1944] p. 152-154).

3. *Chicagien.* seu *Lauden.* Decretum 27 febr. 1944, Super dubio: An, stante approbatione duorum miraculorum post indultam eidem Beatae ab apostolica Sede venerationem, tuto procedi possit ad sollemnem eiusdem canonisationem, canonisationis beatae Franciscae Xaveriae Cabrini virginis fundatricis Instituti Sororum Missionariarum a Sacro Corde Iesu (*AAS* xxxvi [28 iul. 1944] p. 215-216).

4. *Baionen.* Decretum 27 febr. 1944, Super dubio: An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab apostolica Sede venerationem constet, in casu et ad effectum de quo agitur, canonisationis beati Michaelis Garicoïts confessoris, fundatoris Societatis Presbyterorum Ssmi Cordis Iesu, vulgo de Bétharram (*AAS* xxxvi [28 iul. 1944] p. 217-218).

5. *Taurinen.* Decretum 28 apr. 1944, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae, in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servi Dei Clementis Marchisio, Praepositi Ripae Albae, fundatoris Instituti Filiarum S. Ioseph (*AAS* xxxvi [22 sept. 1944] p. 267-269).

6. *Curien.* Decretum 30 apr. 1944, Super dubio: An et de quibus miraculis constet post indultam eidem Beato ab apostolica Sede venerationem in casu et effectum de quo agitur, canonisationis b. Nicolai de Flüe confessoris, Eremitae Helvetii (*AAS* xxxvi [28 iul. 1944] p. 219-221).

26 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

Decretum 10 iul. 1944, quo indulgentiis (500 dierum et plenaria) ditatur oratio iaculatoria « Fiat voluntas tua » (*AAS* xxxvi [28 iul. 1944] p. 222).

27 - S. Romana Rota

Tabulae synopticae causarum S. R. Rotae

Anno 1943

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

CAUSAE	Iud.	Aff.	Neg.
Nullitatis:			
Ob affinitatem e copula illicita	1	1	
Ob amentiam mulieris	2	2	
Ob amentiam viri	2	1	1
Ob exclusum bonum prolis	7	3	4
Ob exclusum bonum sacramenti	5	3	2
Ob exclusum bonum sacramenti et bonum prolis	3	3	
Ob clandestinitatem	2	1	1
Ob condicionem appositam	5	1	4
Ob condicionem appositam, defectum formae, nullitatem sanationis in radice	1		1
Ob defectum consensus, ignorantiam naturae matrimonii, errorem in personam	1		1
Ob defectum consensus et simulationem consensus	1		1
Ob defectum consensus et vim et metum	1		1
Ob simulatum consensum	2	1	1
Ob impotentiam mulieris	2		2
(Dispensatio super rati)	(1)	(1)	
Ob impotentiam viri	10	5	5
(Dispensatio super rato)	(6)	(2)	(4)
Ob impedimentum ligaminis	1	1	
Ob vim et metum	36	21	15
(Dispensatio super rato)	(1)	(1)	
Ob vim et metum et affinitatem	2	2	
Ob vim et metum et condicionem appositam	2	1	1
(Dispensatio super rato)	(1)	(1)	
Ob vim et metum et exclusum bonum sacramenti	1		1
Ob vim et metum et simulatum consensum	3		3
(Dispensatio super rato)	(1)		(1)
Separationis:	1		1
	91	46	45

B - De variis Argumentis

Ceterae causae fuerunt: semel de diffamatione (Incidentis), bis de iuribus, semel de pensione seu solutione.

II

Causae quae eodem anno 1943 transactae sunt, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.

A - De matrimonio

Causae	
Nullitatis:	
Ob amentiam mulieris	1
Ob exclusum bonum prolis	4
Ob exclusum bonum sacramenti	2
Ob exclusum bonum sacramenti et bonum prolis	1
Ob consanguinitatem	1
Ob impotentiam mulieris	2
Ob impotentiam viri	2
Ob vim et metum	5
Ob vim et metum et defectum consensus	1
Incidentis	4
Reiectionis libelli	2
	25

B - De variis argumentis

Reliqua causa fuit: de iuribus.

N. B. — Ex 95 causis sub I allegatis 40 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.

28 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis praefecti sunt:

1 ian. 1944, Exc.mus P. D. Michael Gonzi, metropolitanae ecclesiae Melitensi, nuper evectae, hactenus eiusdem ecclesiae episcopus.

21 ian. 1944, Exc.mus P. D. Vincentius Borisevicius, cathedrali ecclesiae Telsensi, hactenus administrator apostolicus eiusdem ecclesiae.

18 mart. 1944, R. D. Eduardus Ellis, cathedrali ecclesiae Notthinghamensi.

29 mart. 1944, Exc.mus P. D. Emmanuel Arce Ochotorena, metropolitanae ecclesiae Tarraconensi, hactenus episcopus Ovetensis.

29 mart. 1944, R. D. Iacobus Font Andreau, cathedrali ecclesiae Zamorensi.

29 mart. 1944, R. D. Iacobus Font Andreu, cathedrali ecdrali ecclesiae Seguntinae.

29 mart. 1944, R. P. Leo Villuendas Polo, cathedrali ecclesiae Terulensi, adnexa est administratio dioecesis Albarracinensis.

1 apr. 1944, R. D. Philippus Franciscus Pocock, cathedrali ecclesiae Saskatoonensi.

15 apr. 1944, Exc.mus P. D. Iosephus Lemieux, cathedrali ecclesiae Gravelburgensi, hactenus eiusdem dioecesis administrator apostolicus.

22 apr. 1944, Exc. P. D. Exc.mus P. D. Didacus Gómez, metropolitanae ecclesiae Popayanensi, hactenus episcopus Pasopolitanus.

4 maii 1944, R. D. Fridericus Duc, titulari ecclesiae Canathenae, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Augusti Grumel, episcopi Maurianensis.

10 iunii 1944, R. D. Iosephus Newton de Almeida Batista, cathedrali ecclesiae Uruguayanensi.

15 iunii 1944, Exc.mus P. D. Ernestus Sena de Oliveira, hactenus auxiliaris Em.mi P. D. Emmanuelis S. R. E. Cardinalis Gonçalves Cerejeira, Patriarchae Lisbonensís, cum iure titulum « Archiepiscopi-Episcopi Lamacensis » gerendi.

15 iun. 1944, Exc.mus P. D. Henricus Rohlman, hactenus episcopus Davenportensis, ecclesiae titulari archiepiscopali Macrensi in Rhodope, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc.mi P. D. Francisci J. Bekman, archiepiscopi Dubuquensis.

16 iun. 1944, Exc.mus P. D. Aloisius Andrade, hactenus episcopus titularis Dagnensis, cathedrali ecclesiae Antioquiensi.

5 iul. 1944, R. P. Bernardus Botero Alvarez, e Congregatione Missionis, cathedrali ecclesiae S. Marthae.

10 iul. 1944, R. D. Aloisius Almarcha Hernández, cathedrali ecclesiae Legionensi.

10 iul. 1944, R. P. López Ortiz, ex Ord. Fratrum Erem. S. Augustini, cathedrali ecclesiae Tudensi.

24 iul. 1944, Exc.mus P. D. Leo Terrier, hactenus episcopus Tarantasiensis, cathedrali ecclesiae Baionensi.

29 iul. 1944, R. D. Henricus Gelain, cathedrali ecclesiae Cajazeirasensi.

29 iul. 1944, Exc.mus P. D. Arthurus Mery Beckdorf, hactenus episcopus titularis Parnassenus, cathedrali ecclesiae Valdiviensi.

8 aug. 1944, Exc.mus P. D. Beniaminus de Arriba Castro, hactenus episcopus Mindoniensis, cathedrali ecclesiae Ovetensi.

8 aug. 1944, R. D. Franciscus Blanco Nájera, cathedrali ecclesiae Auriensi.

8 aug. 1944, R. D. Iosephus García Goldáraz, cathedrali ecclesiae Oriolensi.

8 aug. 1944, R. D. Raimundus Sanahuja Marcé, cathedrali ecclesiae Segobricensi.

Decreto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali praefectus est:

22 mai 1944, R. P. D. Iosephus Cheikho, archiepiscopali ecclesiae Sehnaensi Chaldaeorum.

29 - Nominationes

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide praefecti sunt:

9 mart. 1944, R. D. Dominicus Senyomon Fukahori, cathedrali ecclesiae de Fukuoka, hactenus eiusdem dioecesis administrator apostolicus.

16 mart. 1944, R. D. Patricius Franciscus Lyons, cathedrali ecclesiae Christopolitanae.

11 mai 1944, R. P. Victor Foley, e Societate Mariae, titulari episcopali ecclesiae Petinessensi, qui constitutus est vicarius apostolicus Insularum Fidgis.

13 iul. 1944, R. P. Henricus Albertus Thomine, e Soc. Parisiensi Miss. ad exter. Gentes, titulari episcopali ecclesiae Andedensi, qui constitutus est vicarius apostolicus de Laos.

13 iul. 1944, Ferdinandus Fulgentius Pasini, ex Ord. Fratrum Minorum, titulari episcopali ecclesiae Bybliensi et vicariatui apostolico de Sanyüan, nuper erecto.

30 - Necrologium

6 mart. 1943, R. D. Fabianus Yu Teh Guen, vicarius apostolicus de Kiating.

21 nov. 1943, R. D. Gustavus Georgius Vandaele, vicarius apostolicus de Hung Hoa.

13 ian. 1944, R. D. Gaspar Schotte, vicarius apostolicus de Ningsia.

20 febr. 1944, R. D. Paulus Maria Dumond, vicarius apostolicus de Nanchang.

29 febr. 1944, R. D. Saba Sarasola, vicarius apostolicus de Urabamba et de Matre Dei.

3 mart. 1944, R. D. Iosue Cattarossi, episcopus Bellunensis et Feltrensis.

15 mart. 1944, R. D. Ioannes B. Peterson, episcopus Manchesteriensis.

30 mart. 1944, R. D. Nicolaus Monterisi, archiepiscopus Salernitanus.

17 apr. 1944, R. D. Theodorus Pallaroni, episcopus Sarsinensis.

22 apr. 1944, Em. D. Card. Gulielmus O'Connell, Primus Presb. tit. S. Clementis, archiepiscopus Bostoniensis.

1 mai 1944, R. D. Stanislaus Okoniewski, episcopus Cumensis.

6 mai 1944, R. D. Iacobus Montanelli, archiepiscopus Vercellensis.

17 mai 1944, R. D. Monaldutius Leopardi, episcopus Auximanus et Cingulanus.

22 aug. 1944, Em. D. Card. Aloisius Maglione, tit. S. Pudentianae, a Secretis status Ss. D. Pii Pp. XII.

3 sept. 1944, R. D. Emmanuel de Castro y Alonso, archiepiscopus Burgensis.

4 sept. 1944, R. D. Antonius Micozzi, episcopus Theramensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Ex libris

Alexander Bobàk, *De jure patronatus supremi quoad ecclesiam Ruthenicam in Hungaria*, v. I vol. I, Romae, Officium Libri Catholici, 1943, 17,5×25 cm., 101 pag.

De iure patronatus supremi in genere. De eodem apud Ruthenos. De iure patronatus regis quoad nominationem canonicorum apud Ruthenos in Hungaria. — Clyros in Ecclesia orientali.

Martinus Jugie, A. A., *De forma eucharistiae: De epiclesibus eucharisticis*, Romae, Officium Libri Catholici, 1943, 17,5×25 cm., 142 pag.

Definitiones praeviae. De formis et invocationibus seu epiclesibus sacramentalibus in genere. De forma eucharistiae et epiclesibus eucharisticis in specie. Varia epiclesium eucharisticarum specimina. — De doctrina ecclesiarum circa formam eucharistiae. — De controversiis circa formam eucharistiae. — De forma eucharistiae secundum libros novi testamenti. — De forma eucharistiae secundum traditionem Patrum. — De forma eucharistiae ex liturgicis documentis. — De significatione epiclesium eucharisticarum, earum praesertim quae postulant illapsum Spiritus sancti super dona ad illa consecranda.

Philipp Oppenheim O. S. B., *Die Consecratio virginum als geistesgeschichtliches Problem. Eine Studie zu ihrem Aufbau, ihrem Wert und ihrer Geschichte*, Romae, Officium Libri Catholici, 1943, 17,5×25, 109 pag.

Brevis descriptio ordinis consecrationis virginum. Textus consecrationis virginum secundum pontificale Romanum. Consecratio virginum pro significatione quam per se habet. Ortus et progressus consecrationis virginum in decursu saeculorum.

Xaverius M. Paventi, *Brevis commentarius in facultates S. Congregationis de Propaganda Fide*, Romae, Officium Libri Catholici, 1944, 17,5×25 cm., 109 pag.

De facultatibus apostolicis in genere. Facultates circa sacramenta et sacros ritus. Facultates circa matrimonium. Fa-

cultates circa absolutiones, benedictiones, indulgentias et indulta varia. Facultates pro ipso Ordinario. — APPENDICES.

GIOVANNI SMIT, Vesc. tit. di Paralo, *Roma e l'Oriente Christiano* (l'azione dei Papi per l'unità della Chiesa) Roma (Palombi) 1944, 17×24,5 cm., 243 p.

Prefazione di S. Em. Eugenio Card. Tisserant - La separazione - La politica e la Chiesa d'Oriente - Successi iniziali - Sogni di Principi - La conquista di Bisanzio - L'impero latino - L'Accordo di Lione - L'imminente pericolo turco - Il Concilio di Ferrara - Firenze - La caduta di Costantinopoli - Tentativi locali d'Unione - Nella « Terza Roma » - Sotto gli ultimi Papi - Tavola sincronistica - Note - Giustificazione bibliografica - Indice delle (50) rimarchevoli illustrazioni - Indice dei nomi.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Philippus Aguirre, S. I., Prof. iur. publ. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 140 ss., 286 ss.

C. Callewaert, p. 61 ss. (†).

Ioannes M. Hanssens, S. I., Prof. inst. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congr. pro Eccles. Orient. et SS. Rituum in sect. liturgica, p. 252 ss.

Franciscus La Cava, Doctor medic. - Prof. Romae in Univ. Status, p. 161 ss.

Michael Ledrus, S. I., Prof. theol. asceticae in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. Rit., p. 5 ss.

Petrus Leturia, S. I., Prof. Hist. Recent., Phil. hist. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. Rit. in sect. hist., p. 231 ss.

Ioannes M. Restrepo, S. I., Prof. Hist. Cur. Rom. in Pont. Univ. Gregoriana; theol. Datar. Apost. et S. Paenit., p. 276 ss.

Albertus Vaccari, S. I., Prof. intr. gen. et exeg. V. T. in Pont. Inst. Biblico, p. 35 ss.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

Pag.

De Mendacio - Secunda pars: De specie mendacii; sectiones II et III, M. LEDRUS, S. I. 5

De offerenda et oblatione in Missa, C. CALLEWAERT . . 61

De receptione s. eucharistiae per fistulam gastricam, F. LA CAVA 161

S. R. Rotae sententiae recentiores speciali attentione dignae.

I. *Decisio d. 22 ianuarii 1944* 170

II. *Decisio d. 25 aprilis 1941* 200

III. *Elenchus aliarum Decisionum similium* . . 216

INDEX MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XII — *Pag.*

1 - Litterae Encyclicae « Divino afflante Spiritu . . 95
Annotationes, A. Vaccari, S. I. 119
13 - Epistula ad Facultatem historiae ecclesiasticae in Pontificia Universitate Gregoriana . . . 228
Annotationes, P. Leturia, S. I. 231
14 - Chirographus. De Regimine instituti caritatis religionisque operibus tutandis, in Civitate Vaticana conditi 242

Acta summatim relata.
6 - 22 . . . . . 150, 294

S. S. CONGREGATIO S. OFFICII
2 - Normae quaedam pro confessariis 130
2*- Communicatio 134
12 - Decretum de finibus matrimonii 219
Annotationes 220
15 - Decretum d. 17 iunii 1944. Damnantur opera et scripta E. Bonaiuti 243
16 - Decretum d. 21 iulii 1944. Systema Millenarismi mitigati tuto doceri non potest 245

S. CONGREGATIO CONCILII
3 - Resolutiones 130
Annotationes, Ph. Aguirre, S. I. 140

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS
17 - Decretum d. 24 ianuarii 1944. Nova Commissio instituitur 245
Annotatio, J. C., S. I. 250

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE
4 - Declaratio iurisdictionis 146
Acta summatim relata.
2 - 4 296

S. CONGREGATIO RITUUM
18 - I. Decretum de usu salivae in administratione *baptismi* 251
Annotationes, I. M. Hanssens, S. I. . . . 252
18 - II. Decretum de sacris oleis a. 1943 confectis . 265
III. Decretum de usu solius aquae in ablutionibus 266
IV. Declaratio de Benedictione Apostolica . . 266

Pag.

Acta summatim relata.
6 - 25 . . . . . 151, 296

S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET STUDIORUM UNIV.
19 - Pontificium Opus vocationum sacerdotalium. Statuta 267

S. CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI
Acta summatim relata.
7 - 23 . . . . . 150, 236

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA
20 - Instructio circa sacramentalem absolutionem generali modo pluribus impertiendam . . . 273
Annotationes, I. M. Restrepo, S. I. . . . 276

Acta summatim relata.
2 - 6 297

PONT. COMMISSIO BIBLICA
5 - Responsum de versionibus S. Scripturae in linguas vernaculas 146

PONT. COMMISSIO INTERPRET. CODICIS
21 - Responsa. I. De denuntiatione nullitatis matrimonii. II. De declaratione nullitatis matrimonii . 285
Annotationes, Ph. Aguirre, S. I. . . . 286

PROVISIONES ECCLESIARUM
9 - 28 . . . . . 156, 299

NOMINATIONES
10 - 29 . . . . . 157, 300

TABULAE SYNOPTICAE S. R. ROTAE
27 298

NECROLOGIUM
11 - 30 . . . . . 157, 301

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE 158, 301

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Ablutiones calicis sola aqua peragi possunt, 266.

Absolutio sacramentalis quando et quomodo possit pluribus simul dari, 273.

Asseveratio in locutione, 37 ss.; absentia asseverationis, 51 ss.

Augustinus (*S.*), De dolo, 25, 27; de fidelitate, 31, 33, 45; de deceptione, 32, 35-36; de asseveratione, 37; de perfidia, 46 ss.

Benedictionis Apostolicae formula adhibenda a Cardinalibus, 266.

Biblicorum studiorum hodierna condicio, 102.

Canonis missae recensiones prior et altera, 81.

Casus excepti in c. 1990 taxative enuntiantur; habetur ibi verus processus iudicialis, 285.

Christifideles, quo pacto offerant sacrificium eucharisticum, 71.

Commissio specialis pro studiis et educatione religiosorum, 245.

Communicatio, in locutione, 7; ut actus amoris, 8; materialiter honesta, 9; comm. verbalis, 9; cfr. frustratio - receptio passiva - activa, 29; personalis, 30.

Concilii Florentini doctrina et sumptio s. eucharistiae per fistulam gastricam, 164.

Confessarii quomodo agere debeant circa VI Dec. praeceptum, 130.

Crucis signa in missa quid significent, 87.

Datariae Apostolicae quando reservatur collatio beneficiorum vacantium in Titulis vel Diaconiis, 134.

Deceptio, communicatio boni ficti, 23-24; respectus ad dolum, 25; deceptio propria mendacii, 26; reatus deceptionis, 28 ss.; deceptio licita, 32 ss.; condonabilis, 35.

Denuntiatio nullitatis matrimonii ubi sit facienda a coniugibus culpabilibus, 285.

Dolus, cfr. Deceptio.

Exegetae catholici munera in nostris temporibus, 109; ratio tractandi quaestiones difficiliores, 112.

Fallacia, genus remotum mendacii, 5-6; fallacia non perfida, 49 ss.

Fictio communicationis, 24.

Fidelitas eminenter exercetur in locutione, 26-27; violatur in mendacio, 44 ss.; materia fidelitatis, 54.

Fides distinguitur a fiducia, 16; ratio intima, 41.

Fiducia, cfr. Frustratio.

Finis secundarii subordinatio quid secum ferat, 320.

Fistula gastrica quomodo possit inservire ad s. communionem, 167.

Frustratio distinguitur a deceptione, 14, 23; non formalis, sed fundamentalis mendacio, 15; correlativa fiduciae, 15; non intrinsece culpabilis, 16; frustratio verbalis, 19 ss.

Gastrostomiae operatio quid sit; diversae methodi, 161.

Genera litteraria a sacris auctoribus adhibita, 110.

Historiae ecclesiasticae Facultatis opportunitas, 230; ordo studiorum Facultatis, 237; dissertationes in primo decennio exaratae, 238.

Immolatio in liturgia missae, 92.

Impotentia, quid requiratur ut vir sit potens ad coëundum, 202, 207, 212, quid non requiratur, 209.

Interrogatio indiscreta, 55, astuta, 56.

Iubilatus canonicus an habeat ius ad distributiones inter praesentes, 140.

Litterae encyclicae « Divino afflante Spiritu », 95; opus Leonis XIII in studiis divinorum Librorum promovendis, 97; opus successorum Leonis XIII, 98.

Litteralis sensus S. Scripturae momentum, 106; quando et quomodo quaerendus sensus spiritualis, 107.

Locutio, elementa constitutiva, 7; cfr. Communicatio; fiducia locutioni praebenda, 21; cfr. Asseveratio, Testificatio, auctoritas locutionis, 42; pactum in locutione, 45.

Lugo (*de*) quid sentiat de sumptione s. eucharistiae non per os facta, 163.

Matrimonii finis primarius, 179-219; sententiae falsae, 221; subordinatio finis secundarii et actus coniugalis ad finem primarium, 182, 219; elementa requisita ad essentialem subordinationem, 224; an ea inveniantur in remedio concupiscentiae et mutuo adiutorio, 225; potest valide iniri matrimonium, denegato iure finis secundarii, 185, 194.

Mendacium, obiectum formale, 5-6; ratio verbi, 14; definitiones, 47; « leve » dictum, 59; Cfr. Deceptio, Perfidia.

Millenarismus mitigatus reicitur, 245.

Missa ab offertorio ad canonis doxologiam videtur esse expressio unius actus protractae et indivulsae oblationis, 80; eius unitas ritualis, 80.

Moralistae quid dicant circa s. eucharistiam administrandam per fistulam gastricam, 161.

Oblatio quid sit, 68; eius subiectum, 71; eius obiectum, 72.

Offerenda, quid veniat hoc nomine, 61; quomodo cohaereant inter se eius diversae partes, 63; non est mera anticipatio caeremonialis, 64; nec praevia materiae benedictio, 65, nec mera praeparatio oblationis sacrificalis, 66; sed est praeparatio, determinatio et inchoatio oblationis vere sacrificalis, 66; conectitur intrinsece cum subsequente canone, 77.

Olea sacra praecedentis anni an possint adhiberi, 265.

Opera damnantur, 244.

Perfidia, in mendacio, 44; eius discriminatio, 48.

Persona; lex propria personae, 41-43; persona loquentis, 53.

Prohibitio ex parte materiae, ex parte formae, 13.

Promissio, respectus ad fidelitatem, 26-27.

Resignatio beneficii intuitu alterius reservati quid secum ferat, 137.

Salivae usus quando debeat omitti in baptismo, 251; historia ipsius ritus, 254.

Sanctificatio moralis et physica obiecti sacrificii eucharistici, 72; antiquiora nomina sanctificationis physicae, 74.

Scripturae Sacrae usus in instruendis fidelibus, 114.

Secreta quomodo cohaereat cum offerenda et praefatione, 82.

Secretum, 17.

Spermatozoa quid sint, 204; an requirantur ad potentiam coëundi, 211.

Testiculus, quid veniat hoc nomine, 203; quid sit semen verum, 203.

Testificatio in locutione, 37 ss.; in vita humana, 39 ss.; formaliter voluntaria, 40; eius auctoritas, 41.

Textus eucharistici an exigant sumptionem s. communionis per os factam, 165.

Textus primigenii consulendi in studio S. Scripturae, 103.

Thomas (*S.*), de veracitate, 12-13; de fide in conversatione, 21 ss.; de liceitate fallacis sermonis, 53.

Veracitas, eius ratio communicationis, 9-11, 39; quomodo pertinet ad ordinem moralem, 11-12; doctrina S. Thomae, 12-13; theoria « debitae » veritatis, 17 ss.; tacita, 50.

Versiones s. scripturae in linguas vernaculas quando et quomodo adhiberi possint, 150.

Vocationum sacerdotalium pontificium Opus; erectio, statuta, 267.

Vulgatae latinae authentia iuridica, 10.